



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**De Vita Et Rebus Gestis Christophori Bernardi Episcopi Et  
Principis Monasteriensis Decas**

**Alpen, Johann von**

**Coesfeldiae, 1694**

Liber Primvs.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-68495](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-68495)



JOANNIS ALPENI  
PRAEPOSITI SANTENSIS  
De  
VITA ET REBUS GESTIS  
CHRISTOPHORI  
BERNARDI  
EPISCOPI ET PRINCIPIS  
MONASTERIENSIS.  
LIBER PRIMVS.

ARGUMENTUM.

1. **F**ERDINANDUS Bavarus, Elector  
Coloniensis, Episcopus Monasteriensis.  
Moritur Arnsbergæ. Sepelitur Colo-  
niæ. Succedit Colonia, Hildesij ac  
Leodij Maximilianus Henricus.
2. Monasterij decernitur dies Electionis. Pader-  
borna eligitur Reckius.

A

3. Multis



3. *Multi Diœcesis Monasteriensis Candidati. Maximilianus Henricus. Leopoldus Guilielmus Archidux. Franciscus Guilielmus Episcopus Osbrugensis. Joannes Princeps Nassovius.* 19  
20  
21
4. *Mallingcrotius, & qualis ille.*
5. *Reckius. Kettelerus. Galenius. In hunc plerique propendent. Ejus propriidiana visio. Et aliorum præfagatio.* 22
6. *Dies electionis. Nomina Canonorum istius temporis. Quare quadraginta & unus.* 23
7. *Procedunt ad electionem. Propositio Decani. Resolutio Capituli. Eligitur Christophorus Bernardus. Decano appellante.* 24
8. *Electus promulgatur. Magno populi plausu.* 25
9. *Electi Natales. Majores. Virtutes. Labores.* 26
10. *Considerat præsentem patriæ statum.*
11. *Electionem impugnat Mallingcrotius. Capitulum tuetur. Et suspendit illum ab administratione Præfecturæ Horstmariensis.* 27
12. *Nuncius Apostolicus concedit Electo sex mensium administrationem. Publicatur.* 28
13. *Electus format Aulam. Creat Consiliarios.*
14. *Mittit Furstenbergium Viennam. Hujus Familiæ virtutes. Functiones. Dignitates.* 29
15. *Mallingcrotius impedit Romæ publicationem decretæ confirmationis.* 30
16. *Cæsar pariter indulget semestrem Electo administrationem.* 31
17. *Christophorus Bernardus indicit Comitia. Aliis excluditur Mallingcrotius.* 32
18. *Romæ confirmatur Electio. Promulgatur. Cæsar dat regalia & investituram.*



ARGUMENTUM.

3

19. Neo-Princeps restaurat pietatem. Eliminat e  
Clero concubinatum.
20. Re frumentaria inopia subvenit.
21. Consecratur Episcopus. Et Episcopali munere  
praclare fungitur.
22. Conversio Domini de Steinfurt. Eius motiva.  
Et propago.
23. Bellum inter Electorem Brandenburgicum &  
Ducem Neoburgicum. Componitur.
24. In causa Mallingcrotiana deliguntur Com-  
missarii Apostolici. Ab his Mallingcrotius su-  
spenditur. Item ab Episcopo.
25. Praepositus tunc Monasteriensis Smisingius. Eius  
Parentela & virtutes.
26. Ab Hassico presidio liberatur Coesfeldia. Ma-  
gnâ Principis sollicitudine. Ortus familia Ba-  
ronum de Beveren.
27. Recuperatur Bevergerna Arx. Cooperante  
Twickelio.
28. Civitas Monasteriensis molitur propugnaculum  
ad D. Ludgeri portam. Orta inde cum Capi-  
tulo Cathedrali controversia. Sopitur.
29. Monasterij fulmen turrim evertit. Magna  
strage. Mira puella preservatio. Periculum  
par biennio ante.
30. Casar indicit Comitum Imperij. Christophori  
Bernardi inauguratio solennis.
31. Tentatur concordia cum Mallingcrotio. Sed  
infectâ re.
32. Princeps assumit titulum Burggraviij Stromber-  
gensis. Et Dynasta Borculoani.

A 2

33. Statut



33. *Status Cause Borculoënsis. Et quid in eâ utriusque actum.*
34. *Christophorus Bernardus ante iter Ratisbonen nonnulla committit Brabeckio & fratri Henrico Baroni de Galen. Ubi de virtutibus utriusque. Exinde abit. Appellit Ratisbonam.*
35. *Et isthic Mallingerotius præsens urget causam suam. Succumbit. Instat sed rejicitur iterum. Frustra implorat aliorum patrocinia. Rejicitur tertio. Redit in Westphaliam.*
36. *Electio Regis Romanorum. Christophorus Bernardus lustrat Hungariam, & Austriam. Ratisbonam redit.*
37. *Propositio Casarea.*
38. *Christophorus Bernardus sollicitat sessionem & votum inter Principes ratione Burggraviatus Strombergensis. Et obtinet.*
39. *Quinq; propositiones Fansenij Episcopi Iprensis damnantur.*
40. *Mallingerotius regressus Monasterium astu pecuniam extorquet. Captat populi studia. Aliunde etiam concitati.*
41. *Princeps laborat de evacuandâ Vechtâ. Inducit eo sine Monasterij Comitibus. At cæpta suspenduntur.*
42. *Discedit Ratisbonâ. Relicto Widenbrückio legato. Qualis ille.*
43. *Torckius Romæ de statu Diocesano refert. Litteræ Cardinalium ad Christophorum Bernardum.*



1650.

I.

**A**bsolverat in Orbis Germanici Theatro Mars insanus, pertinax, cruentus, tricennale bellum, ac in Sacrario Monasterii Westphalorum, tandem vel invitus Divæ Concordiæ cesserat, Norinbergensem per Conventum toto Imperio relegatus; Cùm *Ferdinandus Archi-Episcopus Coloniensis, Sacri Romani Imperii per Italiam Archi-Cancellarius & Princeps Elector, Monasteriensis, Paderbornensis, Hildesienfis ac Leodiensis Episcopus, Comes Palatinus Rheni, utriusq; Bavariæ Dux*, magna Germaniæ, si non turbata, certè tranquillata pars, fessam vicissitudinibus fortunæ, curisque animam pacis Principi Anno à partu Virginis supra millesimum sexcentesimo quinquagesimo, Idibus Septembris *Arnsbergæ* consignavit. Præfuerat ab obitu *Ernesti* Patruī annos triginta octo, varias inter & longas bellorum calamitates, Princeps ingenii verè mitis, iudicii præcellentis, mentis optimæ, Imperatoriæ Majestatis & dignitatis Imperii conservandæ studiosissimus, quam nullo etiam armistitio vitiâsse unquam gloriæ fuit. Cujus eximiæ virtutes integris voluminibus ab aliis laudatæ, meritò calamum hîc meum remorantur. Deportatum ad Ubios cadaver die XXV. Octobris, peractis magnificè parentalibus, in æde Metropolitanâ posuerunt. Successorem mox habuit in Archi-Episcopali Sede Coloniensi,

*Ferdinandus Elector Coloniensis, Episcopus Monasteriensis.*

*Moritur.*

*Succedit Colonia*

A 3

nienti,



1650.  
Leodii  
& Hil-  
desii Ne-  
pos ex  
fratre.

niensi, & Principatibus Hildesienfi ac Leo-  
diensi *Maximilianum Henricum Alberti*  
*Bavari* Principis optimi Filium, quem ex  
Fratre Nepotem *Ferdinandus* adhuc su-  
perstes pridem antè Coadjutorem designâ-  
rat, Collegiorum electione, & Romani Pon-  
tificis authoritate stabilitum.

2.  
Mona-  
sterii de-  
cernitur  
dies ele-  
ctionis.

Monasterij verò confirmatâ per nuncios  
ac litteras Ferdinandi Principis morte cœpi-  
viduata nunc Ecclesia paulatim etiam Neo-  
sponsum meditari. Persolvendis exequia-  
rum justis diem octavum, futuræ autem ele-  
ctioni decimum quartum Novembris, Capi-  
tulari decreto indicunt, & universo Episco-  
patui preces imperant, ac vota, quibus fe-  
licem à DEO successum inter eam patriæ  
ruinam, tam necessarium Ecclesiæ, quam  
omnibus utilem assequantur. Intereâ Pa-

Pader-  
bornæ &  
ligitur  
Reckius.

derbornæ *Theodorus Adolphus* ex inclytâ  
*Reckiorum* gente & Castro *Cuel* oriundus,  
Præpositus istius Ecclesiæ (Vir æquè splen-  
dore virtutum, quam generis nobilitate il-  
lustris) omnium Capitularium suffragiis in  
unum illum convenientibus, Episcopus ac  
Princeps salutatur.

3.  
Candi-  
dati  
Mona-  
sterien-  
ses.

At Monasteriensium animos variè  
distrabant, Serenissimi, Illustrissimi ac  
Nobilissimi Diœcesis tam opimæ Candidati,  
qui velut pluribus divitiarum ac gratiarum  
illecebris allicientis Sponsæ proci, tam no-  
bile Sacerdotium prensabant. Pro *Maxi-*

*milianus*



1650.

Maxi-  
milianus  
Henri-  
cus.

*miliano Henrico* Archi-Episcopo Colo-  
 niensi stabat Serenissimæ Domus Bavaricæ  
 Majestas, & Episcoporum ex eâ Monaste-  
 riensium, *Ernesti* ac *Ferdinandi* Patruo-  
 rum merita, ex collatis in plerosque Ca-  
 pitulares, beneficiis etiam auctiora, ipsiusq;  
 Principis egregiæ virtutes; & in eo digni-  
 tatum fastigio integerrimæ vitæ exemplum;  
 ac conservandis hodie Ecclesiis, uti neces-  
 saria, ita vicina potentia, ingentium terra-  
 rum vires. Et huic tot titulis deberi E-  
 piscopatum haud pauci è Canonicis, plures  
 è popularibus, plerique ferè Ministrorum  
 ominabantur. Nec falli potuisset concepta  
 spes, nisi *Ferdinandum*, de illo in Coad-  
 jutorem & hîc assumendo laborantem, fatali  
 in itinere mors rapuisset. *Leopoldus Guili-*  
*elmus* Archidux Austriæ, Argentiniensis ac  
 Passaviensis Episcopus, & ipse quorundam  
 consilio ad ambiendum ultrò invitatus ac-  
 cedebat: qui & tot Cæsarum unius Au-  
 gustæ Domus, Frater, Filius, Nepos, Bel-  
 gij ac Burgundiæ Gubernator, & fortunam  
 illarum partium, pacem quoq; post West-  
 phalicam, solus successibus præclaris su-  
 stentans, mirificè commendabatur. At  
 non sine aliqua indignatione tandem sensit  
 callidè magis, quam sincerè Episcopium  
 hoc sibi ostentatum, omnemq; Sponsæ il-  
 lius oblatae gratiam, non nisi meram ipsius-  
 met ostentantis fallaciam fuisse. *Franciscus Osna-*

Leopol-  
dus Gui-  
lielmus  
Austrius

A 4

Guiliel-



8 CHRISTOPH. BERNARDUS.

1650.  
brugen-  
sis &  
Nassa-  
vius  
Princi-  
pes.

Guilielmus Osnabrugensium Antistes, ac Jo-  
annes Ludovicus Princeps Nassavius, pronu-  
per hoc in loco, dum Europæa de pace age-  
batur, annos aliquot Legati, ipsi Mona-  
sterium advolârant, si quid fortè præsen-  
tia juvaret, Capitularium animos & studia  
coram sollicitaturi. Nec deerant, qui be-  
neficiorum memoriâ utiles futuri crede-  
bantur, nisi potior numerus popularem,  
præsentemq; Patriæ moderatorem cæteris  
præhabuisset, subditorum (quibus pars  
magna libertatis videri solet à suorum ali-  
quo regi) eò majore desiderio, quò plu-  
res sui calamitates in absentiam Principum  
derivabant; certi navem turbinibus expo-  
sitam, Navarcho absente, faciliùs naufrâ-  
gium pati.

4.  
Mal-  
lingero-  
tius.

qualis  
ille.

Inter hosce Bernardus Mallingerotius  
Decanus Monasterientis, unus omnium,  
qui videri minimè volebat, flagrantissimus  
dicebatur, ac præfatos omnes à se ultrò  
invitados in speciem fovisse, quò in plures  
votis Capitularium divisis, suorum ipse cer-  
tus potioribus gauderet. Erat rarissimæ viri  
doctrinæ, librorum helluo, & memoriæ  
tam vastæ ac felicis, ut libros integros, si  
peruissent, è suo cerebro restituere posse  
crederetur: quod in eo Præsîde admiratio-  
nem augebat, qui convivium propè quotidia-  
na, suis cum hospitibus, in seram plerum-  
que vesperam protrahebat, deinde noctis  
partem



partem maximam litteris impendens studio-  
sus Lucubrador. Episcopalis mytra non se-  
mel illi ostentata & oblata, quando jam  
jam ornandus putabatur, infelicem conti-  
nuò sefellit. Cum enim Ferdinandus II.  
Imperator suorum victor hostium, omnia  
post transactionem Passaviensem bona Ec-  
clesiastica, Catholicis erepta, acerrimo e-  
dicto ad Ecclesiæ Romanæ gremium revo-  
caret, *Ratzeburgense* illi Episcopium, &  
Cæsaris, & Pontificis gratiâ collatum erat.  
At profligato mox ad Lipsiam Tillio, &  
Gustavo Adolpho Suecorum Rege omnem  
Germaniam Aquilonarem suis armis occu-  
pante, insperatus ille victoriarum cursus  
totum hunc conceptum brevi turbavit. Ad  
*Mindensem* quoq; mytram votis Capitu-  
larium legitime vocatus, cum ejus poten-  
tiæ, qui tueri posset, non videretur, *Fran-  
cisco Guilielmo* Episcopo Osnabrugensi ce-  
dere coactus est, quamvis nomen *Coad-  
jutoris* postea nihilominus semper adhuc  
usurpavit. Nunc iterum Monasteriense pe-  
dum, sed iisdem ferè, quibus id quærere  
videbatur, artibus amisit. Percepto enim  
eo, quod penetraverant, arcano de votis  
tot per Candidatos unius suum ad fasti-  
gium dispartiendis, Capitularium plerique  
viri hoc ingenium abhorrentes, timentesq;  
aliquando (ut erat impotentis ac pertina-  
cis animi) Manliana Ejusdem imperia, à



1650.

tam variis Candidatis animos in unum colligebant, è suo gremio jam eligere, neminem postulare certi.

5.

*Theodorus Adolphus de Reck Præpositus Paderbornensis;*  
*Cassarus Philippus à Ketteler Paderbornensis Decanus;*  
*Christophorus Bernardus de Galen Thesaurarius,*  
*& omnes ij pariter Canonici Monasterienses.*

*Galenus Thesaurarius.*

*In quem potiores inclinatur.*

Erant in oculis omnium *Theodorus Adolphus de Reck* Præpositus Paderbornensis; *Cassarus Philippus à Ketteler* Paderbornensis Decanus; *Christophorus Bernardus de Galen* Thesaurarius, & omnes ij pariter Canonici Monasterienses. Plurimorum animi in *Theodorum Adolphum* propendebant, sed quod ad Episcopatum Paderbornensem jam euectus, postulandus, non eligendus putaretur, res difficilior visa, calculos, non animos eligentium alienavit. Inter utrumq; posteriorem eminebat *Christophorus Bernardus* ab eruditione, iudicio, facundiâ, prudentiâ, & agendi dexterritate insigni commendatus. Religione & pietate clarus, famæ integerrimæ, & desiderato ac salubri morum temperamento gratiosus. Plurium jam annorum Consiliarius, imò & Monasteriense hodie Concilij Præses, certè longo rerum usu domi, forisq; probato, vix alter Diceceses æquè gnarus. In hunc igitur averfæ à Decano mentes usq; adeò convertebantur, ut *Burcholdius* Vice-Dominus vota omnia pro Maximiliano Henrico incassum sollicitata ad *Christophorum Bernardum* inclinaret, rerumq; rationibus benè consideratis & calculis non malè positis, Eidem pridè electione



1650.

electionis occurrenti acclamaret, *Principem Te meum, nunc Confrater, cras salutabo.* Propriè verò, quando Christophorus Bernardus horarias preces in conclavi suo sub vesperum absolvebat, inter precandum attonitus, semetipsum in phantasmate conspexit infulatum, ac subter extimam Pontificis vestem (*pluviale* vocant) ex parte cataphractum, visoq; sensim evanescente, crucem pectori admotam Burgundicæ, uti sæpius mihi narravit, non absimilem. Bonorum haud dubiè geniorum præludia, quibus secururæ spectantis vitæ munia, virtutesque præmonstrarent. Recenti adhuc egomet memoriâ recolo, quando sub meum in Westphaliam accessum, primâ vice Cathedralẽ ædem lustravi, à variis indicatum mihi Christophorum Bernardum, tunc ad cæteros, uti frequens solebat, in choro præsentem, eum ipsum esse, quem fama constans præfageret, futurum aliquando in Monasteriensi Cathedrâ Ferdinandi Successorem.

Jamq; solutis defuncto Principi exequiarum justis & funere in Basilicâ Monasteriensi per virtutum præconia laudato, aderat quarta decima Novembris electioni indicta dies, quâ cum in Ecclesiâ Cathedrali frequentes comparerent Canonici ad eam evocati, priusquam actum illum recensere pergam, non ingratum Lectori meo factu-

*Eius  
propria  
diana  
visio.*

*Aliorū  
præfagi-  
tio.*

6.  
*Adest  
dies ele-  
ctionis.*

factu-



1650.

12 CHRISTOPH. BERNARDUS.

facturum confido, nec indignum illustribus tot familiis, si quos Cathedrale Collegium Canonicos tunc numerabat, ordine nominatos omnes curiosæ posteritati consignem. Erant autem

Nominantur  
Canonici.

1. Otto Henricus *Korff* condictus *Smising* Præpositus.
2. Bernardus à *Mallingcrot* Decanus.
3. Joannes Heidenricus à *Vörden* Scholasticus, & Veteris Præpositus.
4. Christophorus Bernardus à *Galen* Thesaurarius.
5. Ferdinandus à *Bucholtz* Vice-Dominus.
6. Godefridus *Droste* ex *Vischering* Senior, Cantor, & Bursarius.
7. Rembertus à *Ketteler*.
8. Arnoldus de *Vitinghoff* condictus *Schell*, S. Mauritij Præpositus.
9. Theodorus Adolphus de *Reck* Electus Paderbornensis.
10. Joannes Bernardus de *Westerholt*.
11. Guilielmus Henricus à *Schorlemmer*.
12. Joannes Guilielmus à *Gertzen* Baro de
13. Joannes à *Newhoff*. (*Sintzig*.)
14. Engelbertus de *Bevervörde*.
15. Maximilianus Henricus *Bavaria Dux*, Archi-Episcopus & Elector Colonienfis.
16. Jodocus Ethmundus à *Brabeck*.
17. Everardus à *Mallingcrott* Cellarius.
18. Arnoldus Vdalricus à *Bucholtz*.
19. Matthias *Korff* condictus *Smising*.

Guiliel-



20. Guilielmus à *Furstenberg*.
21. Christianus à *Plettenberg*.
22. Joannes Henricus de *Reede*.
23. Casparus Andræas *Voss*.
24. Joannes Rutgerus *Torck*.
25. Joannes Bertramus de *Nesselrodt*.
26. Joannes Guilielmus de *Nesselrodt*.
27. Joannes Adolphus Henricus à *Frentz*.
28. Joannes Henricus à *GertzenBaro de Sin-*
29. Joannes Hermannus à *Palant* (tzig.
30. Joannes Theodorus Raitz à *Frentz*.
31. Bernardus Theodorus de *Reck*.
32. Goswinus *Droste ex Vischering*.
33. Joannes Heidenricus ab *Ascheberg*.
34. Joannes Guilielmus Wolff conductus  
*Metternich*.
35. Joannes Ernestus Comes de *Nassaw*.
36. Joannes Udalricus *Walpott* de *Balienheim*  
in *Koningstelt*.
37. Casparus Philippus à *Ketteler* Decanus  
*Paderbornensis*.
38. Adolphus Henricus *Droste ex Vischering*.
39. Bernardus à *Mallingcrott*.
40. Matthias de *Reck*.
41. Theodorus à *Plettenberg*.

Haud pluribus constabat eo tempore *Quare*  
Collegium, quam universim Canonicis qua-  
draginta. Necdum enim Canonicatum *ginta*  
quadragesimum primum pro sanguine suo *unus*.  
erexerant *Henricus* Dynasta in *Assen*, &  
*Franciscus Guilielmus*, Camerarius hæ-  
redita-



1650.

14 CHRISTOPH. BERNARDUS.

reditarius, *Barones de Galen*. Excessum  
verò creaverat tunc Metternichij & Ple-  
tenbergij eodem super canonicatu protra-  
cta altercatio. Illo Pontificiæ, hoc Ordi-  
nariæ collationis jus obtendente. Et quan-  
quam fortior autoritas in ordine prio-  
rem collocârat, noluit tamen primævus  
Collegiarum favor, suorum numero po-  
steriorem excludi, priusquam tota lis in  
Urbe terminata esset.

7.  
Præsen-  
tes Capi-  
tulares  
ad Ele-  
ctionem  
proce-  
dunt.

Proposi-  
tio De-  
cani.

Quotquot interim ex iis Capitulares ac  
suffragandi potestate præditi, præsentisque  
erant, ad conclave Collegij se receperunt.  
Ubi confidentes *Mallingerotius* Decanus  
in hunc ferè modum atatur. *Esse, quæ*  
*priusquam scrutiniij initium sumatur, in*  
*medium adduci & antea putet decerni*  
*oportere. Et ne cum temporis iacturâ*  
*Collegiarum animos diu sustentet, mox*  
*subdit: paulò ante detectum sibi fide cer-*  
*tâ, hac ipsâ nocte potissimam Capitula-*  
*rium partem domi cuiusdam Canonici*  
*convenisse; habitoque tractatu in per-*  
*sonam Thesaurarii unanimes conspirasse.*  
*Constare interea tractatus huiusmodi Ca-*  
*pitulares, uti universales esse, ita nemi-*  
*nem non invitum excludi ab iis aut ne-*  
*gligi debere. Cum igitur ipse vocatus*  
*non esset, sed omnino præteritus, desi-*  
*derare pariter admitti, & ea-propter*  
*instans nunc scrutinium in crastinum usq[ue]*  
*diem*



1650.

diem prorogari. Quod autem certior esset, isthic famam sui graviter lesam, ut eam vocys integram probaret, ipso hoc momento offerre promptam iurejurando purgationem, sed & parem aliis deferre. Necessariam judicare utriusque prestationem, priusquam ad ulteriora procedatur. Atque hæc præfatus, quò major esset suam cuique sententiam promendi libertas, inde ad superius conclave secessit.

Capitulares discussis maturè singulis, quæ proposita erant, nonnullis è gremio committunt, qui ad Decanum referant, electionem, cui lux præsens legitimè indicta, & ad quam absentes Canonici hodie pariter vocati sint, in sequentem diem protrahi non posse, oblatamq; juramenti promptitudinem omninò supervacaneam existimari, nec mereri utriusq; considerationem, ut scrutinium propterea differatur. Decano priora recoquenti, urgentiq; pensiculatiùs ut rem tanti considerent, idem ipsum eadem Capituli constantiâ, & iterum, & tertio responsum est. Postquam ea altercatio integras ferè quatuor horas absumpsit, Canonici moræ impatientes Decano postremum denunciant, sibi ultrà disceptare haud integrum, sed unanimi consensu decrevisse initium scrutiniij, quod si Decano pro officio prælidere grave sit, designaturos se, qui vicem suppleat Collegij Seniore. Hoc tandem

Resol-  
tioCapi-  
tuli.



1650.

*Eligitur  
Christo-  
phorus  
Bernar-  
dus.*

*Decano  
appel-  
lante.*

*8.  
Promul-  
gatur.*

*Educi-  
tur ad  
aram.*

tandem nuncio excitatus ad conclave rediit, ac dein pauca protestatus, in scrutinium consentit. Observatis igitur iis, quæ in Electionibus Præsulum sacro jure cautæ sunt, peractoque ritè scrutinio cum scrutatorum princeps (erat is Schellius S. Mauritij Præpositus) invocato DEI nomine Christophorum Bernardum de Galen Thesaurarium, potiori suffragiorum numero ritè electum, in Domo Capitulari promulgat, applaudentibus de Collegio statim omnibus, & Principatum Electo gratulantibus, Decanus iteratâ protestatione, provocat ad Pontificis Tribunal.

Inter eam protractæ electionis incertitudinem varij miscebantur in urbe sermones, & uti lentitudo hæc apud non paucos augebat periculi ex infausto successu metum, ita è contra nonnullorum etiam spes sustentabat, ac desideria, Mecœnatibus suis vel eâ ratione certius adhuc destinantium tiaram Episcopalem.

Sed dum sub quartam circiter pomeridianam ex æde Capitulari prodit Smisingius Præpositus, & Christophorum Bernardum electum communi consensu Præsulem ex Odæo promulgat, hinc timor omnis & anxietas, inde spes ac vota multorum cecidère. Igitur Concilio egressi Capitulares Electum ad Principem primùm aram, (ubi in genua provolutus pia ad DEUM suspiria

tacitus



tacitus emittebat) inde post decantatum  
solenne gratiarum carmen ad Palatium  
Episcopale omnes deducunt, uno dempto  
Mallingcrotio, qui & hoc officij, & con-  
tra quam oportebat, proclamare Electum  
recusavit. At evulgata mox electio, mi-  
rum dictu, quâ non urbis ac populi ac-  
clamatione, plausuq; excepta sit. Et sanè  
Monasteriensibus ex repulsâ Decani ob  
continuas illi cum urbe simultates, priva-  
& ta supra communem lætitia erat, tam sibi  
gratulantibus de Mallingcrotio ab Electo-  
ribus repudiato, quam Electo ex mente,  
votoq; Civitatis *Christophoro Bernardo*;  
quem & virtutum insitarum fiducia jam tum  
*Patrem Patria* ultrò prædicabant. Mihi  
verò priusquam nunc res ab eo posthæc  
gestas memorare progrediar, libet hîc de  
Principe toties dicendo præfari aliqua, or-  
tumque, educationem ac reliquam illius  
vitam ante Principatûs initia cursim denar-  
rare.

Natus est *Christophorus Bernardus Ejus na-*  
Anno supra Millesimum sexcentesimo sexto, *tales.*  
Idib. Octob. in arce Gentilitiâ Bisping Dicc-  
cesis Monasteriensis. Patre *Theodorico*  
ex pervetustâ Baronum de Galen familiâ,  
Curlandiæ ac Semigalliæ Archi-Marescallo,  
Dynasta in Lutzen, Curtzen, Bisping & *Parens.*  
Roemberg, viro docto juxtâ ac prudente,  
nec belli inglorio. Qui sub Alexandro  
B Parmensi

*Magno  
populi  
plausu.*



1650.

Parmensi Belgium moderante, militiae rudimenta poluit; florentemque in Hispanorum Castris aetatem integros octo annos gloriosè traduxit, ob egregiam virtutem ab eodem Archistratego, & gladio militari, & equestrium lauream donatus. In Curlandiam exinde redux, uti paternae virtutis, ita & bonorum haeres, in Archi-Marescallatus dignitate, quae à Duce tertia erat, ac reliquis Dynastijs demortuo Parenti successit; zeloque Catholicae Religionis exardescens nihil antiquius habuit, quam ut Orthodoxis eam in ista Provincia restauraret. Subinde Westphaliam relegenti cum vicino *Barone de Morrien* Marescallo Monasterienti, quod is venationem turbasset & ex venaticis Theodorici adhuc molossum attineret, acre dissidium, at fatale Morrieno fuit. Monasterij namque, cum unà Comitium frequentant, & fortè fortuito in ambitu areae Cathedralis alter alteri occurrit, ex causâ repetiti canis manus conferuntur, dumque colluctantes stricto utrinque ferro se petunt, transverberatus inter hæc Morrienus cadit. Theodoricus ut defensorem se sui, aggressorem Morrienum probaret, dissimulatâ fugâ ultrò se iudicio sistit, sed post motam causam, & acerrimè diu agitatam, per sententiam Iudicis absolvi demùm & pristino gloriosius restitui meruit. Posthæc in Comitibus,



mitiis, ut ante, frequens, in Commissionibus publicis ac Legationibus Patriæ sæpè adhibitus, & quidem in postremâ, quam tempore Ferdinandi Archi-Episcopi ex tribus Ordinibus adornatam, pro acquirendo Lingensî territorio, cum Maltingeroto Decano Comitum-Hagam sumptuosè instituerunt Monasterienses, ipse cum *Barone de Velen* ex Nobilitate delectus fuit. Haud diù post in Curlandiam regressus, nec minùs Religione, quam auctoritate quotidie clarior, felicissimâ tandem morte in arce suâ *Lutzen* vitam senex finivit, relictis ex Illustri pariter Coniuge *Catharinâ ab Hörde de Ehringer-velde*, filiabus binis, *Catharinâ* Arnolde de *Schilder* Neuhusano satrapæ, antiquissimæ Nobilitatis viro nuptâ, & *Hedwige* postea Collegij Canoniarum Borghorstani Abbatissâ; totidemque filiis *Henrico* Dynastâ in Assen, Satrapâ Vechtenli, & hoc de quo loquor, *Christophoro Bernardo* natu maximo. Avum habuit ejus-

*Mater.*

*Avus.*



1650.  
Pro-Pa-  
truus.

in Curlandiâ donatus est. Pro-Patruus major *Henricus* de Galen Anno salutis M. D. LI. *supremus istius Ordinis in Livoniâ Magister & Sacri Romani Imperij Princeps*, dignitatem hanc suam laudabiliter implevit. Is bello Ordinem inter & Archi-Episcopum Rigensem orto, promptâ manu Guilielmum Marchionem Brandenburgicum & Christophorum Megapolitanum Ducem expugnavit, captosque abduxit, nec prius alterum laxavit custodiâ, quam à Cæsare & Rege Poloniarum interpellatus fœdus admisisset. Et quoniam Theodorici avi Conjux, ex *Wulffiorum*, qui cognominantur *Ludinghausen* avitâ stirpe descendit, *Henrici Wulffij quadragesimi Episcopi Monasteriensis* Principatu gloriosâ, eâ sanguinis propinquitate non minus in maternâ, quam paternâ Majorum lineâ Principes numerabat. Certè ex tot Bellonæ filiis prognato, uti Martius sanguis deesse non poterat; ita quoq; plures aliæ corporis & animi dotes jam tum in ejus pueritiâ emicabant, ut insita pietas, ingenium præcox, ac celsa indoles ad Præsulis maturitatem visa sint properare. Quo tempore Monasterij politioris litteraturæ, & in Academiis Coloniensi ac Moguntinâ Philosophiæ cursum apud Patres Societatis conficiebat, is in eo effulsit virtutum splendor, ut in pietatis æquè ac liberalium ar-

Avia.

Indoles.

Studia.

tium



1650.

tium palæstris *Flos Nobilitatis* & *juventutis*, passim diceretur. Et quæ in mansuetioribus studiis, eadem in juris sacri ac civilis studio, Lovanii Brabantiae, & Burgalæ Galliarum, non sine palmariâ ingenij, judicijq; laude pariter decurso, virtus continuò eluxit. Castimoniam nulla unquam obrectatio labem illinere potuit; utque ejus observantiosem se probaret, quaecumq; præter modum devitabat solitarium sequioris sexûs consortium. Interlucebat in his sobria, addictaq; religioni omnis ætas. Vix septennis Canonicatu Monasteriensi potiebatur. Viginti prope modum annis Cathedralis Ecclesiæ Thesaurarium egit, quæ inter quinque supremas Prælatorum dignitates, una, nec infima est, totidemq; Patriæ ex officio Consiliarium: quibus communi omnium & privato singulorum bono ita se impendit, ut ipsi adhibiti toties laboris præmium Episcopalem infulam pleriq; designarent. Magnæ viro laudi datum, in suâ Archidiaconi regione, Batavis confini, nullum habuisse Sacerdotem publicâ labe contaminatum; inspexisse mores singulorum, obiisse stationes, census fabricæ, Aris nitorem, bonos populis mores, Pastoresq; impigros animabus reddidisse. Frequenter illum Ferdinandus Elector, varios ad Principes & excellentissimos togâ, sagoq; Regum ac

Virtutes.

Functiones.

B 3

magno-



1650.

magnorum Principum Ministros ablegavit, nec modico Reipubl. emolumento res arduas, momentiq; maximi feliciter expedivit. Eidem quoq; in Monasteriensi tranquillandæ Germaniæ conventu suas cen Leodiensium Principis vices commendavit. Sanè difficillimis Legationibus supra viginti quinq; pro Patriæ bono defunctus est, constantiâ ab ipsis hostibus æstimatâ, & exitu tam prospero, ut ipsi Remp. ex parte conservatam non semel adscripserint.

*Affabilitas.*

Commendabat adhæc innata virum comitas & agendi suavitas propè Angelica, quâ mirè eorum, quibuscum versabatur, gratiam captabat, obsequij, dignationisque non modicus, sed prælargus. Certè nemo alius erat, qui sic omnibus instructus naturæ præsidis, tot pluvium, gravissimarumque rerum susceptionibus pro patriâ confectis merebatur supremo Episcopatu clavo admoveri. Et ita senserunt ij, penes quos deligendi potestas erat, quibus visum exantlatos pro Patriâ fortiter labores non alio digniore munere compensari, quam ipso patriæ Principatu, nec ullum Dicecelsæquè gnarum ac amantem præfici posse, quam qui publicarum rerum tractationi jam à tanto tempore assuetus, summam in administrandis prudentiam ostendisset, ac fluctuanti inter procellas navi directricem manum non rarò applicâset.

*Labores.*

Sec



1650.

10.

Conside-  
rat præ-  
sentem  
Patriæ  
statum.

Sed repentinâ honoris oblatione per-  
cussus, etsi sustinendo oneri non accede-  
bat impar, improvisum tamen sollicita de  
præsente Diœcesis statu cogitatio variè, nec  
sine causâ distrahebat. Enimverò supe-  
rioribus Hispano-Batavo, Mansfeldico,  
Christiani Brunsvicensis, Danico & Hasso-  
Suecico Bellis afflictam miserè, & incolis  
passim orbatam, exhaustamq; Patriam quo-  
tidianæ adhuc exactiones omnium ferè par-  
tium urgebant. Vechtâ Sueci, Coesfel-  
diam Hassi, Bevergernam Batavi suis præ-  
sidiis insidebant. Coronæ Suecicæ quinq;  
milliones Imperialium (*satisfactionis pe-  
cunias* nominabant) totâ quidem à Ger-  
maniâ numerandi erant, sed hypothecam  
una illi Westphalia præbebat, Monaste-  
riensi Episcopatu præ reliquis gravem. Et  
quoniam integros propè octuaginta annos  
nullus Decessorum fixo domicilio Provin-  
ciam habitaverat, castra Satrapiarum, Prin-  
cipum Sedes, violentiâ militari potissimum  
diruta, quæ supererant, vix facta tecta  
Palatium exile, nec ullâ prorsus supelle-  
ctile instructum, ipsa Principatûs bona  
ære alieno gravata; arbutis juxta ac feris  
denudatæ silvæ; venationum tot annos ac  
piscinarum neglectus; obviæ villarum ever-  
siones, privata colonorum, & publica Pa-  
triæ calamitas; quem poterant Episcopi  
Principis œconomia, frugali licet, spon-

B 4

dere



dere apparatus? Vastissima Diocesis Regibus Daniæ ac Sueciæ, Electori Brandenburgico Ducibus Brunsvico-Lunenburgicis & Hollandorum Reip. tam potentibus Europæ Principibus quaquaversum contermina, quodq; ultimum in Germaniâ ferale Bellum ex dissidio Religionis ortum, gestumq; esset, vicinia formidabilior, curas immensum augebat. Ipse et solâ Nobilitate euectus; nullo Magnatum sanguine, nullo foedere iussultus, nec armatus milite, nec arce munitus, & adversante Mallingerotio haud satis domi securus, quâ demum viâ imminentibus fortis periculis obviaret? Inter eas mentis disceptationes ad DEUM conversus, supplex oravit, ut cui visum esset tam arduam humeris provinciam imponere, pares animi, corporisque vires superaddere dignaretur.

II.  
*Mal-  
lingcro-  
tius im-  
pugnat  
electio-  
nem.*

At verò Mallingerotius, qui certò sibi persuaserat, *Christophorum Bernardum* nunquam deligendum, ubi vidit singulari Patriam super Electo lætitiâ gestire, Eiq; finitimos Principes ac Magnates hanc quotidie dignitatem gratulari, electionem impugnare constans superiori ad Pontificium Tribunal provocationi insistebat. Colorem litis, quæ jam ante scrutinium insinuerat, privata conventicula obtendit; pleurosq; scilicet Capitularium pridie Electio-



nis in domo cujusdam Canonici haud procul à Collegio Societatis JESU serâ vespérâ convenisse, & post habitas præterito se consultationes, coadunatis animis, præcisâ sibi sub tempus scrutinij libertate, contra sacri juris præscriptum, in electionem unius *Christophori Bernardi* conspirâsse; electionem ex eo vitiatam, nec admitti debere, nec confirmari posse. Capitulares illa Decani asserta constanter pernegare; & si quidem conventum illum admitterent, innoxium eum, neque culpabilem fuisse, ad detegendam solius *Malingrotij* vafritiem institutum; nec detraxisse quidquam suffragantium libertati, argumento esse, quod nonnulli, qui interfuisse dicebantur, sua in alios suffragia derivâssent; adeoq; sacris legibus neutiquam adversari. Ut autem securius agerent, placuit rogare sententias virorum Theologiæ & Juris scientiâ præstantium, an ex iis Decani objectis, quæ accuratè omnia expendenda tradiderunt, vitij alicujus convinci posset electio. Quumq; ij Canonicam illam ac validissimam unanimes adstruerent, Capitulares ipsa eorundem responsa, & acta electionis ad *Fabium Chisium* Nuncium Apostolicum (qui postea ad supremum Pontificatûs fastigium evehctus *Alexander VII.* dictus est) Aquisgrani tunc commorantem submittant; simulq; ablegant è gremio

Capitulum tuetur.

Ablegatio ad Nunciû.



1650.

26 CHRISTOPH. BERNARDUS.

*Hic con-  
cedit sex  
mensium  
admini-  
stratio-  
nem.*

mio suos, ac testes è Clero, qui de Eccle-  
siaz ac Dicecesis statu, deq; personâ Electi,  
inquirentem pro more Legatum informa-  
rent. Et hi quidem re feliciter expeditâ  
brevi redierunt, potestate administrandi  
Dicecesin ad sex menses Electo pariter im-  
petratâ. Addiditq; *Chisius* per-honorifi-  
cam sanè testificationem, inter complures,  
quas eodem tempore suo subjectas habe-  
ret examini, præ unâ Electi Monasteriensis  
causâ nullam potuisse promptius expediri.

Dum hæc cum Legato Apostolico ij,  
qui missi erant, ac testes agunt, Capitula-  
res aliundè docti Mallingerotij inquietem,  
non sine Religionis periculo sollicitantis  
Principum quorundam vicinorum animos,  
ut hujusmodi tranquillitatis publicæ turba-  
mentis antevertant, omni jurisdictione sæ-  
culari virum exuunt, Eidemque Satrapiaz  
Horstmariensis administratione, quæ Sede  
nuper vacante inter Dicecesis & publico-  
rum tunc munium partitionem illi obti-  
gerat, VIII. Kal. Decemb. interdicitur.  
Concessæ verò Semestris administrationis  
Diploma universæ mox Dicecesi intima-  
batur sub hoc tenore.

12.  
*Publica-  
tur.*

**FABIVS** *Chisius* DEICO Apostolica Se-  
dis gratiâ Episcopus Neritonensis. San-  
ctissimi Domini nostri Domini Innocentij  
divinâ providentiâ Pape X. ac præfata  
S. Sedis ad tractum Rheni, aliâsque infe-  
rioris



rerioris Germaniæ partes cum potestate Legati à latere Nuncius &c. Reverendissimo Domino Christophoro Bernardo electo Episcopo Monasteriensi salutem in Domino sempiternam. Oblata Nobis pro parte Tuâ petitio continebat, quod vacante non ita pridem Ecclesiâ Monasteriense per obitum in partibus Serenissimi ac Reverendissimi Principis Domini Ferdinandi Bavariæ Ducis, Electoris Coloniensis Episcopi Monasteriensis &c. Decanus, seu Præpositus Senior & Capitulum ejusdem Cathedralis Ecclesiæ Monasteriensis, secundum Concordata dudum inter S. Sedem Apostolicam & inclytam Nationem Germanicam inita, iure suo utentes, Te servatis servandis in ejusdem Ecclesiæ Monasteriensis Episcopum & Pastorem Canonicè elegerint, per S. Sedem præfatam de more confirmandum, prout per publicum Electionis instrumentum decimâ quartâ Novembris Anni currentis millesimi sexcentissimi quinquagesimi erectum latius vidimus contineri: Nobis humiliter supplicando, ut pro presentium temporum necessitate, & miserandâ illius Episcopatus constitutione, Suecorum & Hassorum exactionibus adhuc durantibus, prout pro parte Capituli præfati latius Nobis expositum, ad sex menses Jurisdictionis Episcopalis exercitium, nec non honorum, fructuum ac proventuum ipsius Episcopatus administrationem, ita ut eadem servare & exigere liberè & licitè possis & valeas, de authoritate Apostolicâ Dilectioni Tuæ indulgere dignaremur. Nos igitur justis hisce supplicationibus inclinati, attentâ Electione tuâ canonicâ



nonicâ & professione fidei in manibus Illustrissim  
 ac Reverendissimi Domini Episcopi Ratisbonensis,  
 Osnabrugensis & c. tanquam vicinioris Episcopi ex  
 commissione nostrâ per Te emissâ, nec non noto-  
 riâ temporum difficultate, & prædicti Capituli  
 Monasteriensis humillimâ requisitione, cautioneq;  
 idoneâ per Procuratorem Tuum Tua nomine solen-  
 niter presentatâ & coram Nobis reiteratâ, de  
 Episcopatu antedicto fideliter administrando &  
 quatenus Electionem tuam reprobari, vel aliâs mi-  
 nimè approbari contigerit, de reddendo fidelem  
 computum Administrationis, & de restituendo red-  
 ditus, fructus & proventus quoscûq; per Te exactos  
 & receptos, quotiescûq; fueris ad hoc requisitu-  
 rus, amplam Tibi per sex Menses, ut interea con-  
 firmationem tuam ex Romanâ Curiâ possis impe-  
 trare, facultatem administrandi præfatum Episco-  
 patum Monasteriensem Authoritate Apostolica  
 concedimus & impertimur, Mandantes serio  
 omnibus cuiuscûq; status, gradus & conditionis  
 sub pœnâ Excommunicationis incurrendæ, ne Te  
 in antedictâ administratione quocûq; modo, di-  
 rectè aut indirectè, seu alio quovis quaesito colore im-  
 pediant aut molestent. Datum Aquisgrani in  
 Conventu S. Joannis Baptiste Canonorum Re-  
 gularium & Residentia Nostrâ, die sextâ Mensis  
 Decemb. Anno Dominica Incarnationis Millesimo  
 sexcentesimo quinquagesimo. Pont. Sanctissimi  
 Domini Nostri Domini Innocentij X. Anno VII.

**N**Os Senior & Capitulum Cathedralis Ecclesie  
 Monasteriensis omnibus & singulis presentes gor  
 No-



rissim  
 ensis,  
 pi ex  
 noto  
 pituli  
 onég  
 Solen-  
 s. de  
 o &  
 s. mi-  
 delem  
 red-  
 actos  
 quisi-  
 con-  
 mpe-  
 isco-  
 olich  
 serio  
 ianis  
 e. Te  
 di-  
 im-  
 i in  
 Re-  
 ensis  
 simo  
 ssimi  
 y.  
 lesia  
 ntes  
 No-

Nostræ parentes litterarum isuris, lecturis, seu legi-  
 audituris notum & manifestum esse volumus, qua-  
 liter Sede vacante non solum omnis potestas Epi-  
 scopalis, administratio ac iurisdictio tam in tem-  
 poralibus, quam spiritualibus, nec non Regali-  
 bus ac criminalibus, respectivè juxta sacros Ca-  
 nones, Apostolicas constitutiones, indulta & pri-  
 vilegia Casarea, aliàsque penes Nos fuerit ac re-  
 sederit, sit & resideat; sed etiam quod per Ca-  
 nonicam Electionem, majora nimirum & saniora  
 vota, quibus etiam postmodum reliqua (unius  
 tantum excepto) accesserunt, decimâ quartâ Men-  
 sis Novembris proximè elapsi in Pastorem ac  
 Præsulem mododictæ Diœcesis & Provincia Mo-  
 nasteriensis, Dominum Christophorum Bernardum  
 à Galen, natum de Castro Bisping, Ecclesiæ No-  
 stræ Thesaurarium, Prælatum, emancipatum Ca-  
 nonicum & Confratrem, modò Illustrissimum &  
 Reverendissimum Dominum Episcopum & Prin-  
 cipem Nostrum gratiosissimum elegerimus. Cum  
 autem processu inquisitionis super qualitatibus  
 Domini Nostri Electi & statu Ecclesiæ, uti moris  
 est, per Illustrissimum & Reverendissimum Do-  
 minum Nuncium Apostolicum iam tum formato,  
 evidens presentium temporum necessitas require-  
 ret, ut quamprimùm Illustrissimus Dominus Ele-  
 ctus ad administrationem Diœcesis & Episcopa-  
 tus admitteretur, desuper indultum Apostolicum  
 pro hac vice & citra consequentiam, conjunctim  
 obtinere decrevimus, & realiter obtinuimus, vi-  
 gore cuius amplissimam administrandi in tempo-  
 ralibus



ralibus & spiritualibus potestatem penes Nos hucusq<sup>3</sup> uti dictum est, existentem (salva tamen omnino ante ipsum electionis actum deliberatione & conclusa capitulatione) in altermemoratum Dominum Episcopum Nostrum transferentes, omnibus & singulis Cancellario, Consiliariis, Officiariis, Amptmannis, Judicibus, Gograviis, aliisque Juratis Ministris, nec non subditis & incolis universis cujuscunq<sup>3</sup> status, dignitatis, gradus, ordinis ac conditionis existant, potestate & administratione predictis hoc instanti penes Nos adhuc existentibus, in virtute S. obedientia districtè precipiendo mandamus, ut non solum Illustrissimo Domino Electo in administratione ejusmodi debitum honorem, respectum & reverentiam humillimè exhibeant, ac illius mandatis & jussibus, uti fidei decet Ministros & subditos, plenissime & in omnibus obtemperent, nec non de redditibus Mensis Episcopalis respondeant, sed etiam Omnipotentem DEUM pro felici Regiminis & administrationis initio, meliori successu, & beatissimo exitu Illustrissimi & Reverendissimi Domini Nostri Electi, Pacis Principis (ita in Domino IESU Christo vero pacis Principe confidimus) ardentissimis suis precibus sine intermissione interpellent. Dabamus Monasterij Westphalorum 22. Decembris Anno 1650.

13. Delato sub hæc ad urbem pariter electus etionis ac informationis processu, Christophorus Bernardus declaratus jam Administrator, Aulico statui formando intentus



tentus erat. Cum primis verò sanctioris Concilij Senatores adlegit Jodocum Ethmundum *Brabeckium* & Guilielmum *Furstenbergium* Canonicos, Theodorum Hermannum *Merveltium* ex Equestri Nobilitate Cancellarium, ac Bernardum *Wiedenbruckium* Juris & Eloquentiæ Consultum. De quibus multa mihi in loco memoranda sunt, quippe qui in omni publicâ, privatâque rerum tractatione adhibiti, suis etiam muniis postea clariores evaserunt, ceu Principis continui, invidiam juxta ac odium non minùs, quam gloriam mutuati.

Ex his *Furstenbergius* Viennam mittitur, ut machinationes observet *Malling-*  
*crotij*, unaq; Principatûs Jura (Regalia  
 vocant) apud Cæsarem tunc Ferdinandum  
 Tertium exoret. Cujus occasione quo-  
 niam ad magnos postea honores adscen-  
 disse vidimus, tanti viri originem, virtu-  
 tesq; hoc loco referre non pigebit. *Fur-*  
*stenbergia* gens, quam ob insignis pari-  
 tatem, arcisq; *Furstenbergiæ* seu *Olden-*  
*burgæ* nomen, à Comitibus *Oldenburgicis*  
 oriri volunt, clara semper inter Nobilita-  
 tem Saxoniam fuit. Familiæ creati ex  
 ea Principes Imperij plurimùm splendoris  
 attulerunt. Inter quos alter *Guilielmus*  
 supremum Teutonici in Livonia Ordinis  
 Magistratum penultimum gessit, qui *Vel-*  
 line

14.

*Fursten-*  
*bergius*  
*abit*  
*Vien-*  
*nam.*

*Ejus*  
*Familia*



1650.

lino arce à militibus suis nefariè proditè  
 captus, ductusq; in Moscoviam insigni pa-  
 tientia & pietatis exemplo vitam finivit  
 Alter *Theodorus* aternâ nominis sui glo-  
 riâ Paderbornensem Ecclesiam rexit. Ubi  
 restituto Catholicæ Religionis cultu; fun-  
 dato Societati JĒSU Collegio; erecta  
 quam abs se Theodorianam dixit, Aca-  
 demiâ; ipsâmet Ecclesiâ ære suo ab omni  
 alieno liberatâ; auctis Cathedrali reditu-  
 bus; exstructis ingenti sumptu magnifi-  
 cis, si quæ aliæ per Westphaliâ, variis  
 arcibus, incredibile sui desiderium apud  
 incolarum animos reliquit. Præclara hu-  
 jusmodi majorum & aliorum adhuc super-  
 stitum merita perpendens *Leopoldus Im-*  
*perator* Anno M. DC. LXVI. Kal. Maii  
 motu proprio familiam hanc ad Libero-  
 rum Baronum statum evexit, nominatis  
 laudatis amplissimo diplomate suo sex Fra-  
 tribus, quorum omnium fama ita calamita-  
 multorum illustrata est, ut à meo plu-  
 lucis nequeat mutuari. Hos inter tertium  
*Guilielmus* noster pueritiam apud Præ-  
 ceptores, quos habuit eâ ætate Coloniæ  
 præstantissimos, exegit fructu non modo  
 co, certè pari tum docentium industria  
 tum discantis ingenio: quippe ubi huma-  
 nioribus litteris ac naturali Philosophiâ ani-  
 mum informavit, transtulitq; ad severio-  
 res disciplinas, magnis jam tum viris per-  
 charu

*Evehi-*  
*cur ad*  
*statum*  
*Baronũ.*

*Fursten-*  
*bergij*  
*Adoles-*  
*centia.*



charus, *Philomathos Juveniles*, metrum  
 perquam elegans ab Authore sibi permif-  
 sum typis evulgavit. Ex quo capit in-  
 genij acumen, & judicij supra ætatem  
 maturitas clarere; nec enim author, (erat  
 is *Fabius Chifius*) illius evulgationem con-  
 cessisset *Furstenbergio*, si non utrumq; in  
 eo ipso comprobasset. Effecit postmo-  
 dum virtus & eruditio, ut ad *Trevirensis*,  
*Salisburgense*, *Monasteriense*, *Paderbor-*  
*nense*, *Leodiense*, tot illustrium Ecclesia-  
 rum Collegia, eorundemq; sacerdotia &  
 dignitates evehctus sit; præcox verò pru-  
 dentia, ut maturâ vix ætate ab *Octoviro*  
*Ferdinando* ad intimioris Concilij Senatam  
 adscisceretur. Post cujus obitum pari cum  
 dignitate *Christophoro Bernardo* assistens,  
 læpius ad Cæsarem, Electores, Principes,  
 & Imperij Comitata, aliosq; publicos con-  
 ventus Legati munere defunctus est, eo  
 semper eventu, ut expectationem omnium  
 superârit. Hæc inter, eâ quoq; valebat  
 non modò vi mentis ac dicendi gratiâ,  
 verum etiam corporis agilitate, ut in con-  
 gressibus ad viri prudentiam auget mirè  
 agendi dexteritatem. Romam evocatus ab  
*Alexandro VII.* Pontifice Maximo in in-  
 timioris admissionis Cubicularium assum-  
 ptus, apud Successores *Clementem IX.* *Cle-*  
*mentem X.* *Innocentium XI.* pari gratiâ  
 tam illustre munus continuavit. Quem &

*Creatur*  
*multis*  
*locis Ca-*  
*nonicus.*

*Con-*  
*siliaris.*

*Fit Cu-*  
*bicula-*  
*rius Pon-*  
*tificis.*

C hodie



1651.  
 Præposi-  
 tus Mo-  
 nasterie-  
 sis &  
 Deca-  
 nus Sa-  
 lisbur-  
 gensis.

hodie in Metropolitanâ Salisburgensi D  
 canum, & Cathedrali Monasteriensi Pr  
 positum, & utriq; Principi à consiliis  
 timis, totq; aliarum alibi dignitatum  
 virtutum ornamentis elucere, ac tan  
 apud omnes æstimari videmus, ut  
 alium judicet Germania summis hono  
 ribus aptiorem.

15.  
 Mal-  
 lincro-  
 tius Ro-  
 ma im-  
 pedit pu-  
 blicatio-  
 nem de-  
 creta  
 Confir-  
 matio-  
 nis.

At verò urgente nunc apud Imper  
 torem Furstenbergio Electi causam, urg  
 batur eadem ab aliis Romæ. Nec uspiam  
 deses Mallincrotius; per se, per Procu  
 ratores, per amicos miscebat omnia. Ni  
 hil in Urbe, nihil Viennæ, nihil etiam  
 apud Nuncium intentatum relinquebat  
 Cumque electionis confirmatio jam tu  
 die vigesimâ sextâ Januarij Romæ decre  
 esset, ut moram injiceret publicationi  
 ipso eodem tempore intervenit ejus Pro  
 curator, nova sibi è Westphaliâ cum pro  
 ximo Cursore submissa commentus, qui  
 accuratè omnia antè expendi flagitat; qu  
 his quippe ea latere rationum pondera  
 quorum consideratione spondeat Pontifi  
 cem non modò non confirmaturum, sed  
 irritam certius decreturum electionem. E  
 Innocentius quidem, sive veri quid sub  
 esse suspicatus, sive ne Mallincrotius postea  
 minùs auditum se queri posset, haud diffi  
 culter annuit Procuratoris postulato.

Novi civi



1651.

16.

*Cæsar  
indulget  
sex men-  
sum ad-  
mini-  
stratio-  
nem.*

Noyâ igitur remorâ Confirmationi Ro-  
mæ injectâ, Furstenbergius Cæsari probat  
Ecclesiasticam administrationem ab Illu-  
strissimo Nuncio ad semestre spatium Electo  
datam, & è re Principatûs ac religionis  
esse, si & temporali in subditos potestate  
tantisper etiam muniatur, quam & ideò  
Cæsaris beneficiâ indulgeri petit, do-  
nec confirmatione in Urbe expeditâ, usi-  
tato more Regale jus & Feudum exoretur.  
Nec averfatus preces Imperator litteras  
occyûs vernaculo quidem idiomate, sed in  
modum sequentem, jussit expediri.

**N**OS FERDINANDVS Tertius divinâ favente  
clementiâ Romanorum Imperator semper Augu-  
stus, Germania, Hungaria, Bohemia, Dalmatia,  
Croatia & Sclavonia Rex. Archidux Austria,  
Dux Burgundia, Styria, Carinthia, Carniola &  
Wurtenbergæ, Comes Tyrolis &c. Universis per  
presentes attestamus & notum facimus, quod vene-  
rabili, devoto, dilecto Nobis Principi Christopho-  
ro Bernardo Electo Monasteriensi Episcopo, ex  
relevantibus causis, & ipsius Devotionis sua pre-  
cibus moti, omnia & singula Diœcesis Monaste-  
riensis Regalia & temporalia jura, qua tanquam  
feudum à Nobis & Sacro Imperio, Devotio sua  
occu Electus Episcopus, statum intra tempus petere  
& excipere tenetur, ad sex Menses clementissi-  
me indulserimus, totòq; eo tempore in omnem il-  
lam Diœcesin, ejusq; Magistratus & Officiatos,  
civibus ac criminalis jurisdictionis usum & admi-  
nistratio-



nistrationem concesserimus, prout Devotioni suae  
 auctoritate nostrâ Casareâ scienter indulgemus, et  
 concedimus per presentium tenorem, ita quod  
 dem, ut toto illo semestri spatio omnia & singula  
 prout acta Diœcesis Regalia, feudalia, & secularia  
 jura, in vim hujus indulti & concessionis Nostrae  
 possidere, iisdemq; uti ac frui, ipsamq; Diœcesim  
 administrare ac gubernare ipsa possit ac valeat  
 post lapsum vero semestri spatio, feudi hujus  
 vestituram à Nobis & Imperio petere & admitti  
 tere, ac interea nihilominus obsequium & fidem  
 uti vasallum decet, prestare teneatur. Quocirca  
 mandamus universis & singulis Eiusdem Diœcesis  
 Statibus, Officiariis, Vasallis, Magistratibus, Locum  
 cum tenentibus, omnibusq; aliis subditis & incolis,  
 cuiuscumq; status, conditionis, aut dignitatis fuerint,  
 ut sœpeditum Christophorum Bernardum Episcopum  
 Monasteriensem ceu legitimum Dominum & superiorem  
 suum recipiant, agnoscant, colant ac venerentur,  
 Eidemq; reverentiam, fidelitatem, & in licitis  
 obedientiam, omniaq; alia praestent & exhibeant,  
 quae fideles Status, Vasalli, Officiales & subditi  
 legitimo suo Domino de jure & consuetudine,  
 prestare & exhibere obligantur. In fidem  
 presentes, manu & sigillo Casareo roboratas  
 dedimus in Civitate Nostrâ Viennensi, die sextâ  
 Februarij, Anno Millesimo sexcentesimo quinquagesimo  
 primo. Subscriptum erat. Ferdinandus. Et sequebatur.  
 Vidit Ferdinandus Comes Curtius. Ac paulò infra.  
 Ad mandatum Sacrae Casareae Majestatis proprium. Wilhelmus Schroder.



Quo diplomate mox translato in Westphaliam ac per universam Diœcesin proclamato, tametsi Mallingcrotius sui tenax propositi nihilò minùs flectebatur, cæteri tamen subditi lubenter omnes paruere. Sub hæc *Christophorus Bernardus*, facturus initium administrationis suæ, Ordinibus Diœcesanis Monasterium comitia indicit. Et hi quidem statuto die stitère se frequentes, sed ad nutum Electi à conventu suo exclusere Mallingcrotium, ceu patriæ tranquillitatis turbatorem. Quam ipse contumeliam tantò molestius accepit, quantò ad id usq; tempus magis decorum pro munere Decani comitio præfedissee. Ne quid autem de jure suo remittere videretur, non semel aditum tentavit; sed fores areæ palatij Episcopalis continuò clausas offendit; quas cum etiam pedibus, manibùsq; pulsitans aperiri sibi acriùs aliquandò postularet, jussi respondere excubitores, nulli nunc eas patere publicæ quietis inimico. Quam ipse severitatem exaggerando conabatur nonnullos ex Ordine Equestri in commiserationem, partemq; trahere, sed frustra.

Nec etiam Romæ negotium illi ex sententiâ succedebat; quippe discusso jam non hebdomades, sed menses aliquot electionis actu, cum præter vespertinum illud Decano præterito conventiculum, novi

17.

*A comitiis excluditur Mallingcrotius.*

18.

*Roma confirmatur Electio.*

C 3

nihil



1651.

38 CHRISTOPH. BERNARDUS

nihil objiceretur, nec ex eo vitari electio-  
nem Canonicis omnibus, uno duntaxat  
excepto, ratam, gratamque præstantissimam  
in Urbe Jurisconsulti pronuntiarent, in  
cero Purpuratorum Patrum senatu confi-  
rmatio decernitur, & expeditis, quæ sequun-  
tur, litteris, tam Electo, quam Clero, Pu-  
puloq; Monasteriensi intimatur.

Sub hac  
formâ.

**I**NNOCENTIUS Episcopus Servus Servorum  
DEI Dilecto Filio (ita Pontifices consecra-  
necdum Episcopis scribunt) Christophoro Bernar-  
do à Galen Electo Monasteriensi salutem & Ap-  
stolicam benedictionem. Apostolatus officium in  
ritis licet imparibus Nobis ex alto commissum  
quo Ecclesiarum omnium regimini divinâ dispo-  
sitione præsidemus, utiliter exequi coadjuvantem  
Domino cupientes, solliciti corde reddimur  
solertes, ut cum de Ecclesiarum ipsarum regim-  
inibus agitur committendis, tales eis in Pastores  
præficere studeamus, qui populum sibi commissum  
sciunt non solum doctrinâ verbi, sed etiam exem-  
plo boni operis informare, commissasq; sibi Eccle-  
sias in statu pacifico & tranquillo velint & ve-  
leant auctore Domino salubriter regere & felici-  
ter gubernare. Sanè nuper Ecclesiâ Monasteriensem  
cui bona memoria Ferdinandus Episcopus Mon-  
steriensis, dum viveret, præsidebat, per obitu-  
dicti Ferdinandi Episcopi, qui extra Romanam  
Curiam debitum natura persolvit, Pastoris sol-  
io destitutâ, dilecti Filii Capitulum dictæ Eccle-



pro futuri Episcopi Monasteriensis Electione ce-  
 lebrandâ, vocatis omnibus qui voluerunt, debue-  
 runt & potuerunt Electioni huiusmodi commodè  
 interesse, die ad eligendum præfixâ, ut moris est,  
 convenientes in unum, Te ipsius Ecclesie Cano-  
 nicum, de Nobili genere, in legitimo Matrimeo-  
 nio, ac ex Catholicis parentibus procreatum, in  
 etate legitimâ, ac à pluribus annis in sacro Sub-  
 diaconatus ordine constitutum, & ad alios do-  
 cendos idoneum, in Episcopum Monasteriensem  
 concorditer elegerunt, Tuq; Electioni huiusmodi,  
 illius Tibi presentato decreto consensisti, & dein-  
 de Electionis huius negotium per venerabiles Fra-  
 tres Nostros Sac. Rom. Ecclesie Cardinales negotiis  
 rerum Consistorialium Prepositos, examinari fe-  
 cimus diligenter; qui sub die vigesimâ sextâ  
 Mensis Januarij proximè præteriti negotio hu-  
 iusmodi maturè discusso, Electionem huiusmodi  
 uti canonicè celebratam, confirmandam censue-  
 runt, Nosq; sententiam Congregationis huiusmodi  
 approbavimus. Nos igitur Electionem præactam  
 juxta sententiam & decretum Congregationis hu-  
 iusmodi Apostolicâ auctoritate confirmantes, præ-  
 tactæ Ecclesie Monasteriensi de Personâ Tuâ, cui  
 apud Nos de litterarum scientiâ, vite munditiâ,  
 morum honestate, Spiritualium providentiâ, tem-  
 poralium circumspèctione, aliisq; multiplicium vir-  
 tutum donis fide digna perhibentur testimonia, de  
 Fratrum eorundem consilio dictâ auctoritate pro-  
 videmus, Teq; Eidem Ecclesie Monasteriensi in  
 Episcopum præficimus & Pastorem; curam &



administrationem ipsius Ecclesia Monasteriensis  
 Tibi in spiritualibus & temporalibus plenarie  
 committendo, in illo, qui dat gratias & largitur  
 premia, confidentes, quod dirigente Domino actu  
 Tuos, praeacta Ecclesia Monasteriensis sub Tu  
 felici regimine regetur utiliter, ac grata in eju  
 dem spiritualibus & temporalibus suscipiet in  
 crementa. Iugum igitur Domini Tuis impositum  
 humeris promptâ devotione suscipiens, curam  
 & administrationem praeactas sic exercere stude  
 sollicitè, fideliter & prudenter, quod ipsa Ecclesia  
 Monasteriensis Gubernatori provide, & fructuosè  
 Administratori gaudeat se commissam, Tuq; pra  
 ter aeternae retributionis premium Nostram &  
 Apostolicae Sedis benedictionem & gratiam exinde  
 uberius consequi merearis. Volumus autem quod  
 Tu ad praescriptum Concilij Tridentini in dicta  
 Ecclesia Monasteriensis Theologalem, & Pœnitenti  
 tariam Præbendas, & in Civitate Monasteriensis  
 Seminarium erigas, & Montem pietatis institu  
 eres, conscientiam tuam desuper onerantes. Da  
 tum Romæ apud sanctam Mariam Majorem, Anno  
 Incarnationis Dominicae Millesimo, sexcentesi  
 mo, quinquagesimo primo, undecimo Cal. Junij,  
 Pontificatus Nostri Anno septimo.

Ad Capitulum verò Cathedrale, nullâ Decani men  
 tione factâ, mittebantur sub insequente formâ expedita.

**INNOCENTIUS** Episcopus servus servo  
 rum DEI, Dilectis filiis Capitulo Ecclesie Mo  
 nasteriensis salutem & Apostolicam benedictionem;  
 Hodie



Hodie Electionem de Personâ dilecti filij Christophori Bernardi Electi Monasteriensis, per Vos, Ecclesiâ Vestrâ Monasteriensi tunc per obitum bonæ memoriæ Ferdinandi olim Episcopi Monasteriensis, extra Romanam Curiam defuncti, Pastoris solatio destitutâ canonicè celebratam, iuxta sententiam ac decretum Venerabilium Fratrum Nostrorum Sac. Rom. Ecclesiæ Cardinalium negotiis rerum Consistorialium Præpositorum, de Eorundem Fratrum consilio Apostolicâ auctoritate approbando & confirmando, Eidem Ecclesiæ Monasteriensi de personâ D. Christophori Bernardi Electi, Nobis & Fratribus ipsis, ab suorum exigentiam meritorum acceptâ, dictâ auctoritate providimus, ipsûmq; Eidem Ecclesiæ Monasteriensi in Episcopum præfecimus & Pastorem, curam & administrationem ipsius Ecclesiæ Monasteriensis, sibi in spiritualibus & temporalibus plenariè committendo, prout in Nostris inde confectis litteris plenius continetur. Quocirca Discretioni Vestræ per Apostolica scripta mandamus, quatenus Eidem Christophoro Bernardo tanquam Patri & Pastori animarum vestrarum humiliter intendentes, ac exhibentes sibi obedientiam & reverentiam debitas & devotas, Ejus salubria monita & mandata suscipiatis humiliter, & efficaciter adimplere curetis; Alioquin sententiam, quam idem Christophorus Bernardus Electus ritè tulerit in rebelles, ratam habebimus & faciemus auctore Domino usq; ad satisfactionem condignam inviolabiliter observari. Datum Romæ apud sanctam Mariam Majorem,

C 5

Anno



1651.

42 CHRISTOPH. BERNARDUS.

Anno Incarnationis Dominicae Millesimo, sexcentesimo, quinquagesimo primo, undecimo Cal. Junij. Pontificatus Nostri Anno septimo.

Quas præterea ad Clerum, ad Vasallos, ad Populum Civitatis & Diocesis Monasteriensis direxit Pontifex, pari modo intimatas, promulgatasq; , vel eò quoq; libentius his subjungerem, quò Scriptoris Anonymi confirmationem incitè pernegantis os, pluribus obstrueretur. Sed cum argumento, tenore, verbis, tempore, sigillo eadem sint, & uno ferè, soloq; duntaxat titulo diversæ, ne augmento plùsq; otioso charta compleatur, præplacuit superfedere.

*Mallingerotio & Vienna Confirmatione impediante.*

*Cæsar Regalia concedit & investiturâ.*

Mallingerotius igitur desperato nunc Romæ successu, totus Viennam se vertit. Causam Electionis in Urbe non satis discussam questus Cæsarem orat, ut Regalium concessio & investitura tantisper differatur, donec re latiùs examinata de integritate Electionis penitiùs innotescat. Sed & isthic, postquam ejus objectiones in Concilio Imperiali Aulico studiosè ponderatae sunt, repulsam patitur, jubeturq; Electum uti Legitimum Principem & Herum suum agnoscere ac venerari. Interim Cæsar agnitâ Pontificis confirmatione Christophorum Bernardum, recepto fidelitatis jurejurando, solenni ritu investit & Imperij Principem



cipem renunciat, datamque Regalium & temporalis cujuscunque jurisdictionis, plenique imperij potestatem amplissimo diplomate testatam facit; veneratione, obsequelâ & fide Principibus debitâ, Magistratibus juxtâ ac subditis, iterum & seriò imperatâ.

Igitur *Christophorus Bernardus*, Pontificis & Imperatoris autoritate, renunciatus jam Episcopus, & Imperij Princeps à restaurandâ pietate novi Regiminis administrationem exorditur. Quippe Religionem avitam non parùm labefactârât serpens pridem illicitum novitatis; Numinis cultum valdè imminuerat Martis licentia, tot annos continuata, & tot secum scelera trahens; ut utrumque erigere & in pristinam reponere dignitatem, publicæ felicitatis interesset. Sacræ alibi ædes ruinam minari visæ, alibi destitutæ supellectile sacrâ, plurimis locis profanatæ erant. Sacris initiati, magnam partem præ otio lascivientes scædâ spurcitie dehonestarant vitam DEO devotam. Foverant à multis retrò annis, seu dominantium incuriâ, seu Bellorum injuriâ, absque ullo rubore suspectas mulieres domi (Focarias seu Concubinas vocitabant) tractarântque non secus ac in permissio matrimonio conjuges suas. Latera itinerantium stipabant; frequentabantur unâ nuptiæ; & cognomento

Hono-

19.  
Neo-Princeps  
restaurat pietatem.

Non parum colapsam.

Eliminat concubinas.



1650.

44 CHRISTOPH. BERNARDUS.

Herorum superbæ in convivantium tripudiis, pronubarum instar, prima occupare subsellia jubebantur. Imò & id non semel observatum (quod in honestioribus Sponsis mos patrius habet) dote suâ ac supellectile instructas magno multorum comitatu ad ipsas Clericorum domos solenniter deductas esse. Usque adeò nihil clam haberi curabant salaces genij, quin pudoris juxtâ ac famæ prodigi, labes cum pompâ quasi ac scenâ producebant. Vix dici potest, quantam ea vitæ turpitude conciliârit Clericalis Ordinis honori jacturam, Religioni opprobrium, apud populum offensionem. Inter primas igitur novi imperij curas fuit, ut ab impuro concubinato Diœcesis emundaretur. Ne quid autem impedimenti crearent Archidiaconorum ac Prælatorum querelæ, jus corrigendi Concubinarios tam Clericos, quam Laicos ex privilegio & consuetudine sibi vendicantium, pactione & cautelâ salutari antevertit. Cæterum gravis erat, & proloquentis animi munditiem spirans oratio, quam in concubinatum invecus per hos dies *Christophorus Bernardus* in formâ edicti typis evulgatam toti Provinciæ intimabat. In hac dolebat multa, docebat plura, sed plurima execrabatur. Et quamvis antè, quoad punitionem Concubitorum, illæsa Archidiaconorum jura pactus esset,



esset, haud tamen omittebat eorum perstringere socordiam, qui cum sub assero juris praesidio non scandala duntaxat tollere, sed & omnem ejus occasionem funditus evellere debuissent, intempestivâ tamen lenitate, vel conniventia peccatis alienis tantò universim se obstrinxerint periculosius, quantò Superiorum indulgentia vitia singulorum creverint securius. Interim omnibus de Clero ac singulis imperabat, qui focarias vel suspectas quascunq; mulieres adhuc foverent domi, viso statim, lectoque praesente tunc edicto, adeò procul & ad tot ab habitatione milliaria à se amoverent, ut sublata credi posset omnis sinistra suspicio & ulterior occasio consuetudinis scandalosæ. Qui septimanas intra sex (quod illis spatium ultimò praefigebat) jussis non paruerit, non tantum ijs poenas sacro juri insertas, sed si crescente etiam malitia mitiorem hanc viam contumaciter posthaberent, absq; conditionis, vel aetatis respectu fortem manum comminabatur. Ne quâ tamen novâ conspergeretur labe dignitas Sacerdotalis, satius habuit rigorem in solas mulieres exasperasse. Et ideò quoque Ministris ac Magistratibus locorum demandabat, ut si quas jam ante suspectas clandestino fortè reditu, vel per ambagem in Clericorum aedes iterum irrepsisse deprehendant, in infames hujusmodi per-

di per-



1651.

46 CHRISTOPH. BERNARDUS.

di personas sine loci reverentiâ , vel ullo violandæ immunitatis metu manus injiciant, & seriam, notamque mandantis voluntatem exequantur. Certè fuit hoc pietatis pharmacum tam efficax, ut squallentis antea Cleri facies mox comparuerit serenior; tam verò salutare, ut propè soli festinato, felicique concubinatus exilio adscripserint non pauci secutas annorum ubertates.

20.

Re frumentaria inopia subvenit.

Sed hic ipse annus ingravescente anno nâ ob rei frumentariæ inopiam in summâ caritate erat, adeò ut tritici octodecim, filiginis verò modium quindecim Imperialibus veniret. Jamque passim grassante fame audiebantur miserabiles egenorum quiritatus panem, panem deposcentium; quorum commiseratione *Christophorus Bernardus* jussit cellas passim frumentarias laxari, perque pagos & oppida gratis frumentum distribui. Sed & eo paulatim deficiente ad exterarum misit Regiones, qui supplementa undique conquirerent publicæ egestati sublevandæ. Quò commodius etiam posthac quævis mercium genera vel ab *Embdano* portu, vel ab *Urbe Zutphaniensi*, opportunitate navigiorum advehi daretur, ipsos alicubi *Amisæ*, & alibi *Berckelæ*, annuum alveos dilatari cupiebat, jam tum magnis illis quos vasto animo fovebat, conceptibus præludens. Adeò

Principis



Principis in Patriam charitas multis jam tum salutaribus gestis se prodens emicabat, ut quos regebat imperio, pietate dulcius cogeret ad officium pariter & sui amorem. Atque ipsa hæc, incredibili clementiâ, benignis alloquiis, omni officiorum genere ita cumulabat, ut capti eâ morum suavitate populâres, effusi in ejus laudes, rediisse cum Principe pristinam Diœcesim felicitatem sibi gratularentur.

Ut autem non minus sollicitum animabus, quam corporum se probaret Curatorem, sacro Episcopatus ordine solenni ritu inaugurari voluit; exemplo patriæ tam novo, quàm grato. Nec enim ab hominum memoriâ Dicecesim rexerat consecratus Antistes, *Joanne Guilielmo Clivix, Ernesto & Ferdinando Bavarix Ducibus*, Episcopali caractere nunquam insignitis. At verò *Christophorus Bernardus* intra trimestre à confirmatâ electione spatium, pedo, mytraque onerari unus & enixè urgebat. Dies consecrationis decernitur Dominica tunc Divo Lamberto Eburonum Antistiti sacra; & *Franciscus Guilielmus Osnabrugensium Episcopus*, Romani Pontificis autoritate jam ante designatus Consecrator, unaque *Joannes Dusseldorpius Sebastensis*, & *Bernardus Frickius Cardicensis Episcopi*, is *Monasteriensis*, hic *Paderbornensis Suffraganeus*, ceu futuri

Assisten-

21.  
Conse-  
cratur  
Episco-  
pus.

17. Sept.



1650.

Assistentes invitantur. Postquam igitur *Sebastenus* (meus in Præpositurâ Santenli quondam Prædecessor) paulò antè *Christophorum Bernardum* Sacerdotio initiaverat; *Franciscus Guilielmus XVI.* Kal. Octob. Monasterij magnificè excipitur. Postridiè sub nonam antepomeridianam, par Principum, par Infulatorum, inter campanarum omnium compulsionem, tubarumque ac Musicorum concentus vestitam maximo ornatu Basilicam Paulinam ingrediuntur, tanto populi affluentis undiq; concursu, quantam & actûs ipsius sollemnitatis & dignitas Personarum magnificentiam ostentabant. Tacto jam per Consecratorum & Assistentes Episcopos *Christophorum Bernardi* capite, expletisque cæteris Ecclesiæ ritibus, consecratus Pontifex solenni benedictione populum dimittit, & post faustas qualque tubarum, Musarumque apprecationes, sacro dextera ballamo delibuta, obviis plurimorum gratantium osculis fatigatur. Dies erat pro magnificentia duorum Principum, & conferentis & accipientis sacerisimum Episcopatus ordinem insignis. Sed transacto inter epulas & gaudia biduo redire Osnabrugensis parabat; quem Neo-Præsul abeuntem ad eum extra mœnia locum deducit, ubi quatri-duò antè exceperat, ibidemque pari, quo primùm convenerant, officiorum genere

inter



1651.

Et Episcopali  
munere  
ipsum  
fungitur.

inter amplexus ab invicem discessere. Et sane *Christophorus Bernardus* esse Episcopus, quam dici maluit, gnarus Principatum in Episcopatu, non Episcopatum in Principatu fundari. Exinde igitur munere suo reipsa functurus, aras ac templa, quae belli tempore aut diruta erant, aut profanata, restituere, statisque caeremoniis expiare coepit. Sacros ipse Clericis Ordines conferre; eorum, qui servitiis Ecclesiae mancipabantur, examini praesse; Curiones virtute ac doctrina probatos Paroeciis praeficere; missitare per Provinciam e Societate JESU Sacerdotes, qui Sacramentorum dispensatione pietatem instillarent, rudemque populum divinis imbuerent praecipis, & imperitam clementis fidei juventutem. Ipsemet Dioecesi lustrare; inspicere mores singulorum; excitare Archidiaconos; exigere rationes animarum; corrigere errantes; urgere segnes; laudare sedulos, sui quemque officij commone; coacta Dioecesanâ synodo eas praescribere & innovare leges, quae servirent Religioni, ac pietati non minus restaurandae, quam stabiliendae.

Dum magnam ita sacrorum curam Praesul habet, nonnulli tam praecelari exempli incitamento ad gremium Romanae Ecclesiae paulatim revertebantur. Quos inter Nobilissimus *Joannes de Reck Dynasta in*

D

Stein-

22.  
Domi-  
nus in



1651.

*Steinfurt ad  
fidem  
Catholicam con-  
vertitur.*

*Conversionis  
motiva.*

*Steinfurt* facile præminebat. Vir erat qui ab aviti generis splendore, rarâ modestiâ, singulari in Patriam pietate, & insigni cum primis eruditione ac prudentiâ oppidò commendabatur; sed à pueritâ dogmatis Reformatorum innutritus, jamq; supra annum ætatis quadragesimum obfirmatus, quamcunq; malebat sortem, quam desertâ Religione suâ amplecti Catholicam. Ut autem volentis non est, neque currentis, sed miserentis DEI, ita divino cum primis munere fidei gratiâ tandem merito illustrari. Curiosâ, multâque librorum controversias tractantium lectione rapiabatur. Alios subinde atq; alios, procurantem *Christophoro Bernardo*, submittebat discretâ amicorum humanitas. Ex his assertionem colligit omnium partium consentientem confirmatam; *unicam nimirum, uti fides ita & Ecclesiam esse, extrâq; eam nullius minus, quam arcam Noëmi desperatam omnem mortalium salutem.* Enimvero ipse de suâ anxius, in unam istam felicis æternitatis viam, indefessâ sollicitudine inquirat. Evolvit adversantium Religionum libros; discrepantiam notat; argumentis argumentis opponit; oppositiones ordine digestas, studiosè rimatur; nec scribentium allegatione contentus, ipsa scrutatur Patrum autographa, qui primis quinque seculis vixere; atq; ubi deprehendit illo-

rum



rum doctrinam, quam nullâ Protestantes ipsi perversitatis labe aspersam docent, in controversis fide dogmatis, hodieq; cum Romanâ Ecclesiâ conspirare; ita secum ratiocinatur. Si Patres isti, quos ipsa Reformationum schola elogio sanctitatis inclytos, è libris, è suggestibus declamat, non aliud crediderunt, quam quod hodiedum Ecclesia Romano-Catholica; quânam igitur ratione ipsa hodierna ejus instituta impietatis aut idololatriæ argui mereantur? sanè si Doctores isti eâ imbuti fide, salutem assecuti sint, cur eandem sectatus hodie Romano-Christianus non consequatur? Indè admirabilem contuetur Romanæ Ecclesiæ sub uao in terris capite, suavi membrorum omnium harmoniâ compaginatæ unitatem; quam toto licet diffusam Orbe ne minimus quidem in re fidei discordiæ nævus macularet. Ad ipsos demùm Penates conversus, dum Patrum recolit memoriam, Abavos, Atavosque, & omnem ante Lutherum progeniem in eadem Religione immotos vixisse semper, tot piæ donationes ac fundationes, monumenta domestica convincunt. Tum ex iisdem chartis eruit prima temporibus Caroli Magni traducta in has Saxonix partes Christianitatis initia, & cum Monasteriensium Episcoporum, ab ipso Proto-Mytâ Divo Ludgero, ad hodiernum usque *Christophorum*



1651.

§2 CHRISTOPH. BERNARDUS.

*Bernardum* inconcussâ successione, eadem continuari sacra, & eadem hodierna, quæ ab incunabilis, fidei instituta; ut si vix unquam vera Christiana Religio in hisce terris plantata sit, hanc ipsam esse oporteat, quam iisdem in templis, Collegiis, scholis, pari tot seculorum constantiâ videat hodie doceri, coli, conservari. His, aliisque pluribus rationum momentis, quæ vel Herculem prosternerent, trahi se testatur ad eam accedere fidelium congregationem, quæ jam inde ab ætate Christi, serie nunquam interruptâ, ad Nos usque perseveravit; quæ in fide una, in moribus honesta, in præceptis sancta, in explanando DEI verbo nec falli possit, nec errare; quæ tot illustrata miraculis, majores nostros paganismi tenebris involutos ad lucem perduxerit Christianæ veritatis; cujus zelosa pietas tot struxerit, fundavitque Collegia, Monasteria, & sacras ædes; in quâ demùm post legitimam Ministrorum vocationem extent vera salutis media, & certa participatio meritorum Salvatoris. Eâ igitur obfirmatus mente, hoc ipso anno pridie Kalendas Decembris, ejuratis antea vitæ dogmatis, ritu solenni Romanam fidem profitetur. Præeuntis exemplum tota mox sequitur *Galeniorum in Ermelinghoff* Nobilissima domus, uti proximo sanguine affinis, ita &

nunc



Ejusdem  
propago.

nunc verâ Religione. Cæterum *Reckio-*  
*rum* gens ( ut meritis ejusdem hoc addita-  
 mentum tribuamus; ) vetustissimæ inter  
 Saxones originis, in plures hodiè divisa,  
 sparsaque ramos, per Archi-Episcopatum  
 Coloniensem, Ducatum Cliviæ, Comi-  
 tatum Marcæ, Saxonix, ac Livoniæ Pro-  
 vincias latè se distudit. Ab arcibus, quas  
 habitant, distinctè quidem singuli cogno-  
 minantur; signum tamen omnibus com-  
 mune, trabs nimirum, seu cuneus in par-  
 ma cœruleâ ternario laterculorum numero  
 miniatus. Quasi Majores ex Triariis, aut  
 Legionè tertiâ veniant, vel qui Trium-  
 viratu sapiùs adito gloriantur. Quod ipsum  
 quoq; Reckij nominis etymon haud ob-  
 scurè confirmat. Veteres namque Ger-  
 mani Heroem usitato vocabulo *Sin Reck*  
 dixêre. Sed inter eos hac tempestate cum-  
 primis eminent *Reckij*, qui Castra & Dy-  
 nastias *Steinfurtum* & *Heesenam* in Prin-  
 cipatu Monasteriensi possident. In horum  
 quippe stirpem, illustris *Volmunsteinio-*  
*rum* prosapia desinens, cum amplâ hære-  
 ditate illata est, & arma gentilitia primor-  
 diali Reckiorum clypeo transversim inserta  
 accessêre. Ex *Volmunsteiniis* autem non  
 paucos emerisse Metropolitanæ & Gereon-  
 næ Ubiorum, aliarumque Ecclesiarum  
 Prælatos ac Canonicos illustres, & quod  
 caput est, claros opinione sanctitatis, in



1651.

54 CHRISTOPH. BERNARDUS.

suo commonstrat Sacratio, Gelenius Historiographus Colonienſis. Et sanè *Joannes* Noster stirpis hujus inſigne germen, virtutibus etiam ſuis avitum Itemma non parùm illustravit, nomenque *Reckiorum* magis inclaruit, quando is ſcripti non unius lucubratione poſt conversionem publicæ luci ſubmiſſâ, ſolidam cum Religionis incremento eruditionem orbi probavit. Nec interim tunc vel unquam poſtea prætermiſit conſtantis in Patriam pietatis argumenta continuare, Ejuſdemque bono in arduis ſæpè negotiis indefeſſam ſemper operam impendere. De quâ non minùs, quam Religione præclare meritum tandem ſub annum hujus ævi ſexageſimum ſextum fatiſ concedit, relictis ex thori ac virtutum conſorte *Barone Galenia* filiis tribus, ac quatuor filiabus. Harum prima Dynaſtæ in *Aſſen* unico *Chriſtophori Bernardi* germano fratri nupta eſt, numeroſa poſteà, ſed lectiſſimæ Sobolis læta Mater. Reliquæ, præter unam quæ cælebs obiit, Nobilioribus etiam familiis *de Aſcheberg*, *de Wrede*, *de Hanxſtein* tractim per conjugia innexæ. Ex prole maſculâ natu major *Joannes Theodorus* in bonis Paternis ac Dynaſtiâ *Steinfurdi*enſi ſucceſſit; ſed is anno nuper octuageſimo octavo immaturâ morte præreptus hæredem quoque filium reliquit *Joannem Matthiam* magnæ expectationis



Stationis Adolescentem, qui peregrinas hodie provincias peragrans aliquando muniis se reddit aptiorem. Secundo genitus *Matthias Fridericus*, quâ complures annos Præpositus S. Mauritij, pari nunc laude Major Basilicæ Paulinæ Decanus audit. In hoc ipse candelabro quam virtutum omnium splendore semper eluxerit, communis vox ac fama testis est, & unicum id sufficit adiecisse, quod post obitum nuper Episcoporum *Ferdinandi ac Maximiliani Henrici* vacans Cathedra Monasteriensis suum alterâ vice suspexerit Candidatum. Tertius *Hermannus* Canonicum Monasteriensem & Paderbornensem agit, singularium gratiarum vir, quem uti *Maximilianus Henricus* ob egregias doctes ad Secretioris Concilij Senatam in Monasteriensi Principatu adlegit, ita & Successor *Fridericus Christianus* Satrapia Wernensi, & Collegium Cathedrale Dominio Ludinghusano præfecere. Plura loqui cum vetet superstium verecundia, prosequi nunc historiam prælubebit.

Per ætatem anni hujus quinquagesimi 23. primi improvisum apud vicinos bellum *Bellum* nascebatur. Causam præbebat famosa *Ju-* *inter* liacensis successio, tot annos continuus *Brandē-* *dissensionum* fomes. Dum *Fridericus burgicū* *Guilielmus* Brandenburgicus Elector post *Electo-* *occupatam Angermundam arcem, lacinias rem &*



1651. Neoburgicū Ducem. Montium cum exercitu infestat, *Philippus Guilielmus Wolfgangi Guilielmi Ducis Neoburgici Filius*, cum suis & *Caroli Lotharingi* copiis, in suppetias ocyus è Belgio accitis *Marcam* aggreditur: atque ita gliscentibus utrinq; armis latius quotidie serpens malum, timebatur nec ex vano, viciniam brevi correpturum. Ut autem in cinere flammam sopiret *Ferdinandus* Imperator, missis actutum *Melchiori Comiti Hatsfeldio* Cæsareani nuper exercitus Ducis, & *Joanni Anethano* Cancellario *Trevirensi* dissidentes componendi potestatem facit. Et horum etiam sollicitudine non multò post, controversiâ, quæ inter utrumque Belligerantem intercedebat, ad *Christophori Bernardi* ceu *Episcopi Monasteriensis*, & vicinorum quorundam Principum determinationem, pari Cæsaris imperio remissâ, certisque aliis conditionibus pax redintegratur, non minore subditorum desiderio, quam *Westphaliæ* totius bono.

24. Deliguntur Commissarij Apostolici. Sed jam antè Collegium Cathedralè exoraverat *Fabium Chisium*, quoniam *Malingerotius* electionem impugnaturus, atrocibus *Electi* famam convitiis læserat, aliquos nominaret dignitate præcellentes, quorum fidei ac prudentiæ pro suâ *Nuncij* potestate examen causæ committeret & maledicti probationem. Delegati igitur, magni nominis viri, partes in jus vocant, audiunt,



audiunt, interloquuntur; & tandem pœnam minantur contumaci Mallingcrotio, nisi statum intra terminum asserta doceat. Expectatur præfixum tempus, & iterum mentes, quibus cum probaretur nihil, hanc demum sententiam pronunciant & exequuntur.

*In causa Dominorum Præpositi, Senioris Mal-  
 & Capituli Cathedralis Ecclesie Monasteriensis Impetrantium ex unâ, contra tuis ab  
 Dominum Bernardum à Mallingcrot iis su-  
 Opponentem ex alterâ partibus, mandati ad probandum diffamationem, ac-  
 tationem, & objecta contra personam  
 Illustrissimi Domini Episcopi Monasteriensis, Nos delegati Commissarii Apostolici de consilio Jureconsultorum, in  
 contumaciam decernimus & pronunciamus, quod dicto Domino OppONENTI in  
 hac causâ perpetuum silentium imponendum, nec non in pœnam Capituli  
 STATUIMUS. De Electione in Sexto declarandus sit: quemadmodum illud  
 hac Nostrâ sententiâ ei imponimus & declaramus, eumq; in expensas hujus  
 litis, salvo Nostro judiciali moderamine condemnamus.*

*Franciscus Guilielmus Episcopus Osna-  
 brugensis, Ratisbonensis, Mindensis,  
 Verdensis.*

*Theodorus Adolphus Episcopus Paderbor-  
 nensis.*



1652.

Bernardus Frick Episcopus Cardicensis,  
Suffraganeus Paderbornensis.

Joannes Wernerus à Leeraedt Prapostitus  
Osnabrugensis.

Frater Jodocus Caessem Abbas Campi  
S. Mariae.

Joannes Ahlers Officialis Monasteriensis.

Joannes Bischoping J. V. Licentiatu  
Decanus S. Ludgeri. Officialis Osnabrugensis.

Lex præcitata, quæ ad confundendam  
obtrektorum temeritatem à Pontificibus  
salutariter lata est, hoc habet, ut si quis  
impugnet electionem, & in probatione  
defecerit ejus, quod obijcit in personam  
Electi, à beneficiis Ecclesiasticis trien-  
nio suspensus; ad quæ si intra illud  
tempus propriâ temeritate sese ingesse-  
rit, eis ipso jure perpetuò sit privatus,  
nullam super hoc de misericordiâ spem

Item ab aut fiduciam habiturus. Accedebat &  
Episco- altera in Mallingerotium animadversio.  
po & Principem ab utroque Christiani Orbis Ca-  
quare. pite confirmatum, ac consecratum jam  
Pontificem, dum Episcopali amictum ve-  
ste, raro exemplo, in templis frequentem,  
aut functurum officio, aut publicas sup-  
plicationes comitatum, Canonici obviam  
facti, pro more & debito, honorificentius  
excipiunt, deducuntque; Mallingerotius  
jussus licet, ceu Legitimum Herum vene-  
rari,



rari, non alio tamen honore, quam ob-  
 verso transeuntem dorso dignabatur; ne  
 quidem capitium, parvum capitis tegmen  
 contingere, quam *Soli DEO*, non pseudo-  
 Principi venerationem debere se ajebat.  
 Igitur Præsul, ubi conspexit reverentiam  
 sibi debitam in ædibus sacris, in suppli-  
 cationibus, in compitis, cum tantâ Cleri  
 totius & populi numerosè confluentis of-  
 fensione, toties palam & contumaciter re-  
 cusari; tam manifestam contemnentis per-  
 tinaciam ex officio correcturus, & ut aliis,  
 in ipso quasi renascentis secum Ecclesiæ  
 Monasteriensis exordio, promptioris erga  
 Superiores suos venerationis & obsequij  
 documentum daret, *Mallingcrotium E-*  
*piscopali auctoritate à Choro, à Capi-*  
*tulo, ab Officio & Beneficio suspendit.*  
 Et hisce quidem fulminibus meritò se  
 tactum videbatur Mallingcrotius agnosce-  
 re, quod postea nusquam in choro ap-  
 pareret.

Cum autem propter amotum à pri-  
 vatis, publicisque functionibus Decanum  
 scire referat, quem tunc Præpositum Ca-  
 thedralis Ecclesia venerabatur, illius hic  
 prosequi originem, virtutesque existimo  
 historiæ nonnihil interfuturum. Præerat  
 eà tempestate *Otto Henricus Korff cogno-*  
*mento Smising, ex Castro Tatenhausen,*  
 Comitatus Ravensbergenlis. Is Patrem  
 habuit

25.  
 Erat  
 tunc  
 Prapo-  
 situs  
 Mona-  
 steriensis  
 Smisin-  
 gius.



1652.  
Ejus  
Paren-  
tela.

Vetustas  
familia.

Virtutes  
& ge-  
nius.

habuit *Henricum*, Matrem *Sybillam* ex illustri *Wentiorum* stirpe natam, nobili genere juxta ac pietate conspicuos; vel eo solum felices nomine, qui liberos omnes, superstites ipsi viderint, alios in dignitatibus constitutos, ex aliis nepotes. Nobilitas familiae pervetusta, quam *Aegidius Gelenius*, antiquitatis industrius scrutator, in suo de magnitudine Colonienſis Urbis Sacratio à *Corbulone Claudij Cæsaris Duce* derivat. Habuit sæpè Cathedralium Ecclesiarum per *Westphaliam* Moderatores, semper Collegas. Ex eâ prodiit celebris ille, Ordinis *Seraphici* ac *Theologiae* lumen, *Theodorus Smisingius*, *Henrici Germanus* frater; à doctrinâ & sanctitate magnus; major etiam, nisi præmatura mors, maturaque virtus orbi vitam invidisset, insigni elogio inter illustres *Lovanienſis Academiae* viros à *Vernulao* decantatus; dignus terrâ, qui tam doctus, dignus calo, qui tam sanctus. Commendabatur iisdem planè dotibus *Otto Henricus*, Patruo suo virtute sanè par, si non tamâ. Nec enim doctrina & pietas concatenatæ sine multarum comitatu virtutum esse consueverunt; illam palmarum cum laude hauserat in scholis Adoleſcens, & volutandis assiduè doctorum scriptis, perficiebat indies, magnus litterarum ac Litteratorum fautor. Hanc à puero in-

diderat



diderat educatrix parens, confeceratque magnæ Matris Sodalitium, pietatis schola, in quâ verum supremi Numinis piè, pureque colendi affectum stabilivit. Munditiam animæ usque adeò colebat, ut levem quoque DEI offensam haud apud se diu pateretur, atque ideò quot hebdomadis (sæpius plerumque) conscientiæ labes sollicitè confessus excuteret animo verè piò; immò nec arduum quid unquam aggrederetur, quin antè Cælitum favorem simili pietate sibi propitiaret. In suo Archidiaconi tractu eundem DEI cultum zelosè instaurabat, nec ignavus morum censor nec perseverus. Quidquid verò multarij æris pendebant reorum delicta, totum id pro innatâ liberalitate in pauperes, Religiosorum familias, piosq; usus statim convertebat. Nihil unquam magis execratus, quam seculi vafritiem, privatæ utilitatis, per speciem publicæ, nimis quantum studiosi; nihil deplorans æquè, ac maximam partem justitiæ exilium, & iniquam multis locis bonorum Ecclesiæ direptionem. Si quid aliquandò muneris offerebant patrocini, opilque indigentes, cum stomacho rejectum mox asportari jubebat, promptior immunis adjuvare, quam donatus. Vir acri, modestoque ingenio, laudum suarum parcissimus, quas uti vetabat de absente memorari, ita minùs dici coram patiebatur.

Con-



1652.

Consiliorum opportunitate Collegis apprime charus ; tametsi enim Præpositi Concilio Capitulari interesse ex officio non teneantur, nisi gravioribus super causis rogati ; ipse tamen non interfuit modò semper, sed ferè præfuit ; adeò ut ne quidquam ardui statuerint unquam, quod ipse arbitrato suo non comprobârit, Immaturam tanti viri mortem luximus aliàs, & sola dolorem ratio depulit, quod hæc omnia lege creata sint, ut morte deleantur. Sed nunc ut publica protequamur in abducendis è patriâ Hassorum copiis suam pariter operam collocabat.

26.

*Evacuatur Coesveldia.*

Enim-verò Diœcesin adhuc insidebat Hassicus miles, exactionibus, quamvis in pace, haud mediocriter gravis. Ingentem namque pecuniæ vim Hassiæ Principi addixerat Pacificatio Monasteriensis, unaque potestatem fecerat præsidio suo Coesveldiam obtinendi, donec argentum Casselæ penderetur. Et quoniam plures Ordines Imperij, ex lege pacis ad id concurrere obligabantur, quod tamen in conferendo ratam partem vel impotentes, vel incurij, certè legnes notarentur ; & temporum quoque calamitas augeter mutuandi tantisper æris difficultatem, non minor erat sollicitudo *Christophori Bernardi* tantam debiti summam conquirentis, quam cupido peregrinum educendi militem, ut

ex



ex longinquæ servitutis compedibus eximeret gemebundam Diœcesin. Adhæc, quod recedente Cattorum præsidio, secundum pacis conventa, Coesveldiæ munitiones everti oporteret, nec id Hassi solum, sed & plures alij, clam licet, urgere viderentur, imò & Consules Civitatis aucupari favorem militiæ, ut sub discessum traderent Senatui portarum claves, non parum quoque distrahebat Principis animum tam nolentis suis exui munimentis Civitatem, quam alteri à se credi vel tradi ejusdem claves. Incredibili studio ac vigilantia huic curæ intentus, nunc cum evocatis ad Comitium Ordinibus Diœcesanis consultabat, nunc Castellis Legatorum operâ laborabat apud Viduam Hassiæ Principem, Ejusque Ministros, nunc insinuabat se Cosveldiæ præsentibus Hassicæ militiæ Præfectis, ut voto demum suo frui daretur. Tandem parato partim ære, partim vadimonio, satisfacta Hassiæ Princeps præsidiarium militem suum Cosveldiâ educi jussit, ac fossis, vallisque illæsis *Christophoro Bernardo* reddi Civitatem. Qui præmissis mox *Remuntio* Generali Vigiliarum Magistro, receptisque ab Hassico Governatore clavibus, è vestigio subsecutus, ac magnifico Comitatu Civitatem ingressus est. Egit autem Coesveldiæ primum, ac statim indictis totâ Patriâ supplica-

plica-



1652.

64 CHRISTOPH. BERNARDUS.

plicationibus liberatori DEO gratias, præcepitque recurrentium deinceps annorum decursu Dominicâ Theophoriam Monasteriensem secururâ perpetuas agi, quod pace universali Imperio redditâ Principatum Monasteriensem ab Hassico & hostili tot annorum præsidio liberâsset. Sanè gaudia vix satis explicavero, quæ egomet vidi, civium & olim incolarum, qui digresso nunc hoste Lares, domosque repeiebant, ab exilio gestientes, quod omniam molestiâ defunctis Principis beneficio concessum esset, fructum pacis toties exoptatum aliquandò degustare.

Sed ecce proximum jam militis egressum in foribus propè stitisset protracta solutio millenorum aliquot imperialium nummorum; qui inter eam temporum penuriam difficilius parati, in summâ deficiebant. Ut autem obicem hunc dimoveret Principis solertia, abiturum ante alios maturantis, vadimonium obtulit; quod nec recusârunt Hassiæ Principis Commissarii, dummodo pignus in Benthemiensi, tunc amico Comitatu assignaretur. Et mox præstò fuere Nobiles Viri, Joannes *de Beveren* in Devensburg, ac Joannes *Beveren de Twickel* in Havickesbeck, qui Principis desiderio obsequentes bonorum, rerumque suarum Benthemiensium hypothecam utilitati Patriæ prompti consecrârunt.

Est



1652.

Origo  
familie  
Baronũ  
de Beve-  
ren.

Est autem illa *Beverenorum* familia generis splendore & antiquitate illustris; crediturque ab eã derivari *Bevernæ* Dominorum stirpe, quam è regio ortam sanguine, & amplos in Flandriã, Galliã, Pælatinã terrarum tractus jam ante complura secula possedisse, in sua Flandricæ *Bevernæ* & *Beveranæ* Ditionis chorographia probat *Antonius Sanderus*. Profectis namque *Godefrido Bullionio* & *Roberto Flandrorum Comite* in terram sanctam, *Theodoricus de Beveren* inter istius sacræ expeditionis comites memoratur. Cui & filius fuit, *Guilielmus de Bevernâ*, cognominatus Princeps *Galilææ*, & Comes stabili Hierosolymitanus. Et hunc confirmat, *Mejerus* in annalibus suis filios ac filias in terrâ sanctâ habuisse; Ut ex iis *Beverani* hujates Sanctum *Erponem* è Ducibus *Megapolitanis XVII.* *Monasteriensem* Episcopum, quando & is ab expeditione sacrâ in *Westphaliam* rediit, verosimilius comitati, ab eodemque ob gratam acceptorum in *Syriã* beneficiorum memoriam (nisi forsan emptione possederint) donati credi possint cognomine *Dynastiã*: quam propter amplitudinem in binas postmodum Parochias, nimirum *Orientalem* & *Occidentalem*, *Oest-* & *West-Beveren* divisere. Ab eo enim tempore in *Monasteriensibus* fastis, diplomatis ac tabulis

E

lis



1652.

lis publicis nomen Beverenorum celebra-  
tur: ut ordine pulchro digessit *Joannes*  
*Godefridus Baro de Beveren* in *Deven-*  
*burg & Lette*, memorati *Joannis Filii*  
*Consiliarius Monasteriensis*, jurispruden-  
tia, politicae & historiarum egregiè per-  
tus; qui & genealogicum schema *Baro-*  
*num de Beveren* affabrè elaboravit. De  
quo plura nobis dicendi occasio in loco  
erit; nunc publicis insistamus.

Ex abductâ per hos dies *Hassorum*  
militiâ communem Patriæ lætitiâ non  
multò post auxit recuperatio arcis *Bever-*  
*gernae*, sive ut rectius fortè nonnulli volunt  
*Bevergardæ*. Hanc superiore bello expu-  
gnaverant *Sueci*; Verùm quod nullo pa-  
cem post *Westphalicam* titulo retinere pos-  
sent, unitarum *Belgij Provinciarum Ord-*  
*nibus* consignarant. *Ferdinando Electore*  
*Colonensi* adhuc superstite, arcis restitua-  
tionem *Hagæ-Comitis* urserant sumptuosa  
legatione *Monasterienses*, ipsum etiam, ut  
faciliorem redderent, *Lingensem Com-*  
*tatum* empturi. At importuna tunc, nec  
satis honorifica *Auriacis* visa est terræ istius  
venditio, quam vicina fulciebat adeò mu-  
nitiæ arcis opportunitas. *Christophorus*

27.  
*Bever-*  
*gernam*  
*arcem.*

*Mona-*  
*sterien-*  
*ses repe-*  
*tunt.*

*Et ite-*  
*rum*  
*Christo-*  
*phorus*  
*Bernar-*  
*dus.*

*Bernardus* tametsi sat gnarus eas sibi  
vires non esse, ut è *florentissimæ* tunc  
*Batavorum Reipubl.* manibus *Bevergernam*  
ferro extorqueret, id tamen postulati sui  
justitiæ,



justitiæ, & vicinorum benevolentia tribuit, ut restitutionem ab eorum æquitate impetrari posse non desperaret. Igitur *Theodoricum Philippum ex Baronibus de Wulich* in Pröbting (qui nuper sub Hassis Chiliarcha meruerat) Virum & sago devotum, & togæ non inidoneum, Hagam-Comitis ablegat, sollicitaturum Ordines, ut cum nullum ipsi jus haberent in arcem, juxta leges pacis Westphalicæ certò restituendam, educerent præsidarium militem, vacuumque redderent Episcopo Monasteriensi. Sed hic surdas primùm aures invenit; paulatim verò nonnihil moderatior; tandem etiam rationi obsequentes, dum scripto fatentur nullo jure arcem ab externo milite teneri, sed uti esset Episcopi Monasteriensis, ita nec debere quaesitâ restitutione diutius eundem frustrari. Verùm executionem non sequebatur par verbis candor. Militem exauthorant & sacramento in speciem mutato, *Guilielmo tertio Arausionensium Principi* vix bimulo transcribunt. *Christophorus Bernardus* visâ tam insigni strophâ, hanc astu fidem ulturus, acquiescebat Ordinum responso. Noverat enim Batavorum animos tunc ab *Auriacâ* domo alienatos, viduæ Matri hac versutiâ placere tantùm voluisse; cæteroque si auderet & succederet, ne stricto quidem pugione amissam *Bevergernam* vindicaturos.

*Sed frustra à Batavis.*

*Præsidium Auriaco transcribentibus.*



1652.

Christo-  
phor.  
Bern.  
recupe-  
rat.

Strata-  
gemate  
& qua-  
li.

Sub Principatûs exordium præter cu-  
stodes corporis ac cohortem prætorianam  
vix alium militem legerat, & nunc etiam  
fuetò remissiùs in rebus Martiis agebat  
tanquam Bevergernâ potestati Auriacæ con-  
signatâ, omnem recipiendi spem jam po-  
suisset, haud ignarus nullos quam meto  
vacuos celerius opprimi, & occasione  
aucupandi fortunam esse optimam suorum  
hostium securitatem. Hanc cum mi-  
dexteritate eò promovisset, ut præsidium  
nihil minùs, quàm de aliquo in se co-  
nato cogitarent, imò nec Episcopum  
Auriacum quidquam ausurum (& sparsis  
rat consultò hujusmodi rumores) suspi-  
tutò persuaderent, suo jam eos astui ma-  
turuisse censens, ad fallendum se com-  
posuit.

Erat area trans pontem versùs op-  
pidum subjecta arci, in quam præsidium  
vel lustrandi vel exercitij militaris, & in  
dies mutandarum excubiarum gratiâ edu-  
cebantur. Id Princeps cum notâsse  
septem vernaculos elegit, corpore robu-  
stos, firmos animo, manu promptos, fide  
constantes, & ingenio vafros, quos suc-  
cessivè dierum aliquot per intervalla, in  
Auriaci dolum subodorari possent, Bever-  
gernam migrare, militiæ adscribi, & oc-  
casioni optimæ intentos esse jussit; ut  
præsidarius in hanc aream trans pontem  
ductus



ductis ipsi quaesito negotij, moraque titulo, pontem attraherent, eductum militem reditu arcerent, & stratagematis successum signo tormenti bellici aperirent.

Opportunè adsunt arcis & militiae Praefecto militare praesidium per id tempus augenti, dum sui apud Monasterienses exauthorationem per fida tot annorum servitia, nunc importunam criminati Auriaeis adscribi petunt, nec difficiles admittuntur.

Horum omnium conscius simul & architectus *Twickelius*, vir generosus & militiam probatus, qui cum Bevergernæ, uti *rante* & Rheinæ Satrapam ageret, vel ideò ar- *Twicke-* *lio.* *lio.* dentiùs etiam arci recuperandæ intendebat. Vix quinta excurrit hebdomas, dum praesidiarj stipendia recepturi ad oppidum educuntur, relictis unà cum Praefecto ad stationem iis, qui destinati stratagematis authores, suam interim commilitonibus excubiarum operam, & ante Monasteriensi Principi fidem obstrinxerant. At hi, digressis vix aliis, Praefectum nihil mali suspicatum cubili suo ocyùs obserato includunt, & attracto mox ponte aditu reversuros arcent, deinde tormentum laxant prosperi tesseram successùs. *Twickelius* per eos dies continuæ venationi per speciem intentus, monitus bellicæ machinæ signo, cum selectissimis armatis & numerosâ ru-



1652.

70 CHRISTOPH. BERNARDUS.

sticorum manu citus advolat; quinquaginta circiter & inter hos scalarum portitores per fossam viâ sibi notâ immittit; quibus muro admotis, ubi depressior erat, partim conscendunt, partim brevitate scalarum falsi à castellanis in arcem attoluntur. Ipse cum cæterâ phalange municipium ingressus contra prædianos rectâ movet, sed hi, dum insolitâ jam tormenti laxatione acciti occupatam arcem & dolum ferius deplorant, undique nunc à Monasteriensibus obsessi facillè tot armatorum arbitrio se dedunt. *Twickelius* igitur Auriacis exarmari iussis, demisso mox ponte arcem intrat, collaudat vernaculos, Præfectum honestè custoditum videt, pecuniam stipendiis destinatam reperit, & festivâ statim tormentorum omnium laxatione, nuncioque pari festinatione expedito *Christophorum Bernardum* votorum suorum compotem declarat. Ita arx totius Diceceseos munitissima, altissimis undique & latissimis aquis ac paludibus cincta, difficilis accessu, nec facilis expugnata, sine ullius jacturâ militis absque sumptu & hostium irritamento tam facillè, incruenterque in potestatem Principis ven-

*Nonnullis improban-  
ribus.*

nit. Erant quibus stratagema improbatum, quod de Batavorum mente non satis securos daret fama; & metum incuteret Tutorum Auriaci potentia, qui tene-



temeritatem vix adhucdum armati Præfulis facile ulturi crederentur: addebantq; nonnulli Matrem viduam, amissæ arcis dolore percitam, infantem Principem utraq; manu sublevâsse, comminatam illum ipsum fore, quem aliquando vindicem Monasterienses experirentur. Et erat in recenti omnium memoriâ *Auriacum* ipso eodem die natum esse, quo *Christophorus Bernardus* Monasteriensium Episcopus eligebatur; quali electionis ille & natalis diei concursus præmonstraret æmulationis incommoda, olim futuræ. Et hic est ille *Guilielmus*, qui superatis adversantis initio fortunæ vicissitudinibus, in Majorum munia restitutus, Batavorum hæreditarius Gubernator, ac terrâ, mariq; cum summâ potestate militiæ Dux, nunc etiam magnæ Britanniæ Rex audit. At verò *Sed im-*  
*Christophorus Bernardus*, crescente tunc *moto*  
 in horas Batavorum ab *Auriacis* averfio- *Princi-*  
 ne, istius Reip. quotidie securior; *Divi pe.*  
*Augustini* in *Augusto* diem, quo *Bever-* 28. *Au-*  
*gerna* recuperata fuit, tum & annuè *augu-* *gusti.*  
*gustio* habuit; *augusto*que illo *Sanctorum*  
*Ambrosij* & *Augustini* hymno, ob succes-  
 sum tam felicem opitulanti DEO gratias  
 agens, milite & quidquid *Auriacorum* erat,  
 centenis curribus benignè dimisso, quie-  
 tam arcis possessionem continuavit.



1652.

28.

*Monasterien-  
ses molientur  
novum  
propugnaculū.*

*Orta inde con-  
trover-  
sia.*

Sub hæc moliebantur Monasterienſe propugnaculum ad Divi Ludgeri portam quod urbi eò loci munitionibus haud ſatis proviſæ neceſſarium judicabant. Neque Senatus abnuebat, potiori parte ad id inclinatâ. Sed multis quod hortorum oportunitate exuerentur, privatâ jacturâ ſollicitis, plurimis autem ærarij difficultatibus obtendentibus propugnaculum ædificatum tunc quidem intermiſſum eſt. Placuit tamen Civitati conceptam munimenti formam, veſtigiumque per aliquem machinariz rei præfectum, designato extra portam loco, palis ac limitibus diſtinguere nec enim idcirco perficiendi operis neceſſitate compelli. Collegium Cathedrale jurisdiſtionem ſuam (quam tunc adhuc Urbis portæ, foſſæque terminabant) eâ operis novi molitione violari interpretatur, compertoque ſoleni urbem denunciatio- ne ne quidquam moveri, perticas Domini ſui fundo inſertas extrahi jubet. Magiſtratus, quod videret plenâ die, ſe coram ad Urbis mœnia, tantam Collegij miniſtrorum confidentiam eſſe, actutum capi eos imperat ac vinculis demandari. Capitulares ſuper publicam jurisdiſtionis violationem privatâ pariter injuriâ irritatos ſe queſti, Principem interpellant, ut ſuorum ipſe cauſæ proſpiciat, nec contra jus, ſasque Capituli jurisdiſtionem, eâ propugnaculum extru-



extruptione, comminui patiat. Accitus igitur ad Principem Senatus, causam dixit, non fuisse istius Cives animi, ut in scio, invitoque Cathedrali Collegio munimentum extruerent, sed istam tantum mentionem conceptam papyro formam paulo distinctius notasse, ut pluribus, planiusque constaret, & si vel sic arrideret forte, iustis super fundo conditionibus cum Capitulo convenirent. Nec sperasse invitum illud, praesertim quod ad sui quoque ac totius Cleri tutelam viderent pertinere. Princeps vero incarcerationum dimissione, viaque concordiae imperata, natas super infixis tunc, turbatisque perticis simultates quidem diremit: Verum ex biennio post, quando Civitas posthabitâ Capituli contradictione, extendendis fossis, vallisque suis intenta, praenotatam hoc anno molem perfecit, supra modum recrudere.

Nunc vero ad dictas omissae munitio- nis causas & alia accesserat ex novâ, subitaque Urbis calamitate. Erat hæc ætas, ut pauca ea historiae superaddam, continuato si unquam tonitru memorabilis, praesertim quod nullo ferè per confines Provincias damno, in sola hac Diocesi sævire videretur. Etenim Monasterij, ne plura memorem, turris nitrati pulveris receptaculum, ipso Commemorationis D. Pauli festo, tacta fulmine, ingens urbi

*A Prin-  
cipe  
compo-  
nitur.*

29.

*Fulmine  
incensa*

*turris*

E 5.

dam-



1652.

*magnam  
stragem  
edit.*

damnum importavit. Ipsa dum funditus  
everitur, superiori parte in altum expullâ,  
expansâque, vicina quævis sternit, ac disje-  
ctis procul lateribus ædes tectis passim,  
fenestrisque vitreis denudat, nullo sacra-  
rum, profanarumque respectu. Fragon  
erat tam horrendus, ut quatefacta urbs  
fuis se domibus tumulari crederet, & suam  
quisque rem agi ratus, parietem non pro-  
ximum sed proprium ardere; donec erum-  
pens pulvereâ pestis incensâ turris indicium  
haberetur. Quò cives ære jam campano  
acciti, inter continuata ac permixta nim-  
bis fulmina concurrebant, videbantque  
stragem profectò miseram, oppletas te-  
ctorum, murorumque ruinâ plateas, pro-  
stratas juxtâ domos, multos hominum  
incendio pariter haustos, ac subversis pa-  
rietibus conssepultos, alios miserando etiam  
spectaculo debilitatos. Accurrentes ple-  
rique è Religiosorum familiis ad misero-  
rum discrimina adhuc vociferantium, ma-  
nusque protendentium, opportuno non  
paucis perfugio fuere. Inter hæc obve-  
nit, quod in admirationem ceu miracu-  
lum traxit non paucos. Erat Carnificis,  
qui domum habitabat turri contiguam,  
filiola inter alias novennis. Hæc inva-  
lescente tonitru Litaneuticas DEI paræ pre-  
ces, à Laureto dictas, constanti pietate  
recitabat. Inflammatur intereâ pulvis,  
turris

*Mirè  
puella  
praeser-  
vatur.*



turris evibratur, domus oppressa corrui-  
 ipso Carnifice, famulis, liberisq̄ue omni-  
 bus subitò elisis, uxore lethaliter faucia-  
 tâ. Sola puella hæc tantæ stragis unice  
 secura propitiam DEI Matrem sentit, &  
 vacuo quasi pendens aëre, ab advolan-  
 tibus subtracta periculo, illæsa & incolu-  
 mis evadit. Profectò exemplum juniori-  
 bus ac adultis juxtà imitandum, quo ad  
 afferendam in hujusmodi vitæ, fortuna-  
 rumq̄ue discrimine constitutis opem, su-  
 peri provocentur. Majora poterat damna  
 intulisse ferale fulmen, nisi divina boni-  
 tas restincto effusis imbribus incendio, fu-  
 nestiori ruinæ antevertisset. Quod idem  
 ante biennium obtigerat ipso in sanctiori  
 hebdomadâ Christi patientis die, cum in  
 sulphurei pulveris molam, ad portam  
*à novis pontibus* appellatam, injectum casu  
 ignem pulvis comprehenderet. Nam de-  
 speratâ flammaram extinctione, quippe  
 carbonibus in pulveraria vasa, attenuatis  
 tantum assulis tecta, cumulatim deci-  
 dentibus, fugam quisq̄ue, non auxilium  
 meditari. Alij confugere ad remotissima  
 Civitatis loca (clausæ enim portæ exitu-  
 ros arcebant) plurimi pretiosa quæq̄ue  
 incendiorum injuriis subtrahere, nec pauci  
 conscendere dissitarum turrium apices, ul-  
 timam scenæ catastrophæ, rerumq̄ue sua-  
 rum ruinam conspecturi, futuriq̄ue olim  
 apud

*Pericu-  
 lum Ci-  
 vitatis  
 biennio  
 ante.*



apud posteros tantæ cladis oculati testes. Ita plerisque fugientibus, nonnulli è Sacris familiis audaciores accurrunt, magno ausu conscendunt turrim, ignem in doli-  
liorum tegmina lapsum ejiciunt, alibi re-  
stinguunt imperterritè; neque deterrebant  
fortes animos stillæ liquidi ab ardente  
flammâ, labentisque è tecto plumbi, ve-  
stes, cutemque adurentis: quorum pro-  
fectò omnium memoriam, exempli in-  
teresset ad posteros nominatim extendi,  
si mihi æquè promptum fuisset eorum ob-  
servare nomina, ac admirari virtutem. Atq;  
ita restinctâ tunc flammâ, DEI benefi-  
cio Civitas à ruinâ conservata est. Et  
nunc etiam, quod minus Urbi damnum  
illatum sit, adscribebant quorundam In-  
colarum pietati, quam apud plerosque,  
secuturas adhuc strages subveritos tanto-  
perè promovit continuatum sequentes ali-  
quot dies tonitru, ut in ipsis adeo plateis  
Sacerdotes aures pœnitentibus accommo-  
dare cogentur, paucis repertis, qui non  
suorum clade territi delicta commodior  
minimùm tempore exponerent. Fuere  
qui jam olim (ut vaticinationes hujusmo-  
di eventa plerumque sequuntur) affirma-  
bant visam urbem ardere; cumque ali-  
callidè magis, an verè in vulgus sparge-  
rent, adhuc atrociora prodigiis etiam præ-  
monstrata, inter metum, terroremque im-  
mensum



1652.

mensum pietatem augebant. Senatus verò ad antevendum tantæ imposterum cladi, si præter spem perlimili fortè periculo rursùm involvi Civitatem contingeret, jussit tormentariam hanc pestem per plures in mœnibus turres disparari.

Interea *Ferdinandus Tertius* generalia totius Imperij Comitia Ratisbonam indixerat, quibus communibus Procerum Germanorum suffragiis, reliduo adhuc à belli sævitie malo consulereetur. Isthuc etiam advolare statuit *Mallingerotius*, ut suam Imperatori causam multorum (sic enim sperabat) Magnatum patrociniò coram studiosiùs commendaret. Et jam tum ex industriâ fortè quorundam fautorum ad conciliandam viro famam, perhonorifico Burgundici Legati munere functurus, publicis etiam inter Tabellariorum nova typis callidè vulgabatur: resque credi cœpta, quod ab Hispano ad Tractatum pacis quondam Legato, tunc contubernali, in aulâ commendatus putaretur, postea compertum est, merum fuisse commentum.

30.  
Indicun-  
tur Co-  
mitia  
Imperij.

At verò *Christophorus Bernardus* ad Inauguratio  
eam Comitiorum diem, instar cæterorum Principum  
Principum Imperij, honorificè invitatus, *Principis.*  
noluit in viam se dare, priusquam solennis more majorum inauguratio præcessisset. Id enim hætenùs distulerat, ne respiranti paulatim patriæ cumulatis sumptibus



bus esset gravior, sed idem qui futurum itineri, etiam inaugurationi, magnam partem serviret apparatus. Igitur octavo Kalendas Octobris, qui dies Marti sacer festivo ingressui decretus, Ordinibusque indictus erat, sub octavam matutinam, ingenti pompa Princeps cum suo comitatu, & eo quidem ordine, quem in introitu Civitatis observatum paulò post

*Ex Carcere* recensebo, ex arce *Wolbecâ* prodibat *Hiltropium* pagum versùs. Aliquantùm progressi à numerosâ millenorum agrestium phalange, lætâ scloporum explosione deviam salutantur. Haud procul à pago, Ordo Equestris nunquam antè sic visus, bipartito agmine suum in campo Principem expectabat. Ad quem tandem, isthuc vectum, quatuor è Nobilitate selecti, dimissis equis pedites advolant, dextramque è rhedâ descendenti cursim osculati per

*Propè Hiltropium Pagum occurrit Nobilitas.* *Everwinum Drostium* Oratorem suum, novum Principi Imperium gratulantur. Quibus *Bernardus Wiedenbruckius* Principis Consiliarius intimior, quum longâ oratione ex tempore respondisset, ad sellas, equosque reduces, conjuncto agmine incedunt. Vix ad quatuor teli jactus progressos in eodem agro Hiltropiensi præstolabatur *Cathedrale Collegium*, plurimis vectum rhedis, & famulatio in modum turmæ distributo. Ubi egressum è sella

*Nec inde procul Capitulum Cathedrale.*



sellâ Principem datis mutuò dextris salutatum, *Albertus Boickhorstius* Oratorum erudito, tum gravi sermone excepit. Cùmque *Wiedenbruckius*, post actas palam gratias, deprædicatâ Principis in Patriam curâ ac sollicitudine, multisque jam tum laboribus pro eâ exantlatis, responsa paria reddidisset, & Princeps & Canonici dimissis rhedis equos conscenderunt. Atque ita ad Urbem nunc contententibus, haud indè procul, obviam venit ingens primorum è Civibus equitanti-  
*Propius Urbem Cives.*  
 agmen, facile supra ter centum, *Herdingio* Consule & quibusdam ex Urbico Senatu Ductoribus. Hi ad Principem pileo tectum, & equo insidentem cum Oratore suo pedites accedebant, intèrque gratulandum flagitabant, Cives porrò, uti fideles, devotòsque subditos paterno affectu prosequi dignaretur. Cùmque per *Wiedenbruckium* annuisset Præsul, civilis equitatus in Urbem festinus retrocessit.

Sequebatur è vestigio *Christophorus Ordo, Bernardus*, instructo hunc in modum introi-comitatu. Anteibant equitum turmæ ductores *Meinershagio*. Hos certo inter-pompa. vallo comitabantur tria famulitij agmina, nempe Collegij Cathedralis, Ordinis Equestris, & Nobilium Aulicorum. Dextrariis ac phaleratis equis succedebant æneator & Tubicines; exim juvenes generosi, quos cubiculi



1652.

80 CHRISTOPH. BERNARDUS.

cubiculi sui ephebos adsciverat Princeps  
Post hos Equestris Nobilitas Monasterien-  
sis ; deinde Satraparum ac Nobilis Aulicorum  
Phalanx , quam *Burchardus Barchardus*  
*Westerholtius* Lembecæ Dynasta, ceu aulicus  
Mareschallus ducebat. Medius equitibus  
Princeps gladio cinctus, prætorianorum  
viginti quatuor lateris custodum utrimque  
stipatus ; juxta quem *Merveltius* Cancellarius,  
*Wiedenbruckius*, & *Bruckhausius*, qui à consiliis  
intimis, secretisque erant. Hos proximè sequebantur  
Dignitates ac Canonici Ecclesiæ Cathedralis  
tum prætoria cohors, & cætera promiscue  
aula, quam plurimæ elegantes rhedæ excipiebant ;  
demùm aliquot equitum cohortes claudebant  
agmen. Hoc ordine Princeps, inter tormentorum  
boatus, Civitatem ingreditur, tot illustribus  
comitatibus, tantâ hinc equorum, indè rhedarum  
pompa concertantibus, tantâ mortalium frequentia,  
partim occursantium per vias, partim prospectantium  
è tumulis, fenestris, tectisque ædium, rarò ut  
iis in locis quidquam magnificentius, splendidius  
spectatum sit.

*In ingressu ad  
D. Ludgeri  
Princeps  
offert.*

Præful mœnia jam subingressus, postquam  
in arâ ad D. Ludgeri erectâ, Protomystæ  
honoris aurum obtulerat, inter dispositos  
per vias ac fora armatos cives capitâque  
adpronantes, ad sacrum Michaelis

Sacell



1652.

Sacellum rectâ perrexit. Cujus ad gradus  
 ex equo descendit, quem cum omni orna-  
 tu suo, tradidit *Baroni Droftio de Vische-*  
*ring* tunc *Heidenrico* Satrapæ *Horstma-*  
*rienti* & *Ahusano*. A multis namq; seculis  
 observatum est huic *Droftiorum* familiæ  
 donarium hoc deberi. Tum ædiculam con-  
 scendens, chlamyde, ense, pileo exutus est;  
 sed mox Pontificali amictum paludamento  
 præfens excepit Clerus; ac longo ordine  
 in *D. Pauli* Basilicam deduxit. Ubi Sacra-  
 mento *Patris* dicto musicum inter melos, &  
 applaudentia subditorum vota in *Episcopi*  
*solio* & *Principis* throno collocatus est, *quin-*  
*quagesimus septimus Monasteriensis An-*  
*tistes*. Clerus omnis flexo poplite confiden-  
 tis dexteram devotè osculatus debitam  
 Præsuli suo venerationem & obsequium vo-  
 vit. Sed ad palatium *Episcopale* eadem Pon-  
 tificali pompâ reducto *Equestris Nobilitas*  
*datâ manu* fidem stipulabatur. Tandem in-  
 gentis lætitiæ signa cives edere, tormento-  
 rum, scloporumq; explosione sæpius repe-  
 titâ; lætos audiri in turrium peribolis tu-  
 barum concentus; festis compita ignibus  
 collucere; instrui passim convivia; in aulâ  
 verò *Proceres* triduo sic litare, ut nihil de-  
 fuerit, quod tantæ hilaritati serviebat.  
 Nec inter illos *Ordinum* plausus suis *Musæ*  
 partibus defuerunt; namque ipso auspiciati  
*Principis* in *Urbem* ingressus die *Societas*

Ad D.  
 Michae.  
 lis ca-  
 ballo do-  
 nat Ba-  
 ronem  
 Droftiū.

Deduci-  
 tur ad  
 Cathe-  
 dralem.  
 Isthic  
 Clerus.

Sed in  
 palatio  
 Nobili-  
 tas obe-  
 dientiâ  
 spondet.

F

JESU,



1652.

82 CHRISTOPH. BERNARDUS

7ESU, & Bernardus Rottendorffius C. fareus ac variorum Principum Medicus amans politioris literaturæ vir, scriptis clarus, ac plures alij, gratulantium turbis admitti, probata eruditis metra inaugurati Præfuli consecrârunt.

*Urbs* Alterâ die, postquam solenni sacro in *postridie* summâ Princeps interfuerat, evocati *juramē-* fules Civitatis Monasterientis coram Sena- *tum præ-* toto ac Tribuum Magistris, in areâ Cath- *stat.* drali, inter Propylæum Ecclesiæ (Paradisus vocant) & D. Jacobi ædem, vetustiore *tiliâ* (quæ nunc extirpata est) consueto Sacramento Principi dixerunt.

31. Exindè *Christophorus Bernardus* iter Ratisbonense à plerisq; Civitatum *Tenta-* matam jurejurando obedientiam, fidelit- *tur con-* temq; pariter excepit. Et quia nonnulli *cordia* suaserant exploratum *Mallingcro-* tum in compositionem propendere, *cum* cuit, antequam itineri se accingeret, *Mal-* licet frustra tentatam iterum experiri. *lingcro-* quam enim eâ controversiâ ad illustres *tio, sed* Germaniæ Academiâs Colonensem, Ingo- *infectâ* stadiensem & Herbipolensem relatâ, *re.* Theologiæ & juriû peritissimi, *Malling-* *cro-* *tium* non modò ritè suspensum, sed po- *tium* sufficientem utriusque confirmationis *no-* *titiam*, tam irreverenter contumacem, *be-* *neficiis*, proventibus, dignitate privari *pos-* *enunciaverant*; Princeps tamen & Capita- *lar-*



lares, posthabito rigore, has illi conditiones obtulerunt. *Retineret Decani nomen, Dignitatis ac beneficiorum proventus omnes; nec quisquam vivo subrogaretur; publicis tantum congressibus non interesset.* Enimverò *Mallingcrocius* rejectis cum stomacho istiusmodi postulatis, iræ præceps, convitiis primùm læcessere Conciliatores tam indigna ausos obtrudere; mox insimulare Capitulares, Principem, ipsosque Purpuratos injuriarum. Ad hæc corruptos muneribus Electionis Judices; Commissarios, qui censurâ Suspensionis immerentem irretiverint, partibus implicitos; se interceptis persæpè litteris haud sufficienter unquam auditum; ipsorum etiam alibi Procuratorum perfidiam causatus, omnem postea componendi viam præcidit. Sic de concordia agitatum sæpè, toties inceptâ, toties infectâ; culpâ à Capitularibus in *Mallingcrocium*, & ab hoc in illos pari utrinque studio reiectâ.

Majoribus interea curis intendebat *Christophorus Bernardus*. Burggravios Strombergenses cum Noribergicis, Magdeburgicis, & Reineccis, inter Primores Imperij Romani, quondam numeratos nemo rerum Germanicarum peritus ignorat. Sed iis aliàs suppressis, diviso inter debellantes territorio, quamvis *Stromberga* ipsa, & potior pars, Monasteriensibus attributa sit; majores tamen neglecto publico jure privatae duntaxat utilitati acquieverunt. *Christophorus*

32.

*Princeps  
assumit  
titulum  
Burg-  
gravij  
Strom-  
bergen-  
sis.*

F 2

Ber-



1652.

*Bernardus* ex nuperâ pacis dicetâ doctio  
quid vota Principum, quid plura possen  
jura Burggravorum vindicaturus, Ratis  
nam abire noluit sine tituli comitatu *Bur*  
*gravij Strombergensis*; non tam eo  
quam Ecclesiam suam ornaturus. Nec on  
nindò inanem fuisse eventus docuit, cum  
postea nomine inter Imperij Principes suffi  
gio & sessurâ publicis in Comitibus potiret  
Sed & assumpto *Dynasta Borculoensis* tit  
lo, quod hactenus nemo fecerat, avulsi  
ab Imperio, patriâque *Borculoam* utrius  
rursus adjicere exinde totus adnitatebat  
Quid autem hoc fuerit, quæve ejus origi  
cum â pluribus diversè nimis, neque sine  
rè satis referri, tot scripti post hæc codice  
testentur, haud alienum arbitror â princip  
paulo latius explicare.

Et Dy-  
nasta  
Borc-  
loani.

33.  
*Borc-  
loa situs.* *Borculoa* non mediocris in Westphalia  
ditio, Principatu Monasteriensi, Comitatu  
Zutphanix & Provinciâ Transalananâ cit  
gitur. Hanc seculis aliquot primùm *Dodini*  
*werdij*, deinde *Brunckhorstij* ab Episcopo  
Monasteriensibus beneficiariam tenuerunt  
Sed *Judoco Brunckhorstio*, qui postremum  
ejus gentis fuit, Anno supra sesquimille  
mum quinquagesimo tertio, sine liberis de  
cedente, *Guilielmus*, ex illustri *Kertelero*  
*rum* familiâ, eâ tempestate Monasterien  
Princeps, uti caducam possidere cœpit  
*steriensis Maria Hojana, Judoci Vidua*, solo usu  
fructu ad vitam permissio. Reliqua vero  
*Judoc*

Primi  
possesso-  
res.

Possessio  
Mona-  
steriensis



*Judoci* hæreditas post obitum *Mariae*, cessante usufructu, obtigit *Irmgardis Wischia*, quam *Georgius* Limburgi Comes *Styrumensis* Viduam reliquerat. Hæc cum esset *Judoci* consobrina, tanquam sanguine proximior, & patrimonij hæres, etiam feudi investituram à Monasteriensi flagitabat. Quod idem cum *Rudolphus Diepholtij* Comes, Ejusque liberi & *Brunckhorstius* *Batenburgi Dominus*, pari jure contenderent, investitionis litteræ, ut quisque (salvâ tamen Monasteriensium possessione) viâ juris causam agat, sive ut vocant, *ad effectum agendi*, Anno seculi præcedentis quinquagesimo sexto singulis concessæ sunt.

Ergo duodecim electi Judices (*Pares Curia* appellant) qui controversiâ ad se relatâ, auditisque partium omnium argumentis post longas tandem disceptationes, causam plenissimè instructam *Argentoratum* transmissere, ut istiates Jurisperiti, quod ab omnibus remoti, addictique Religioni Protestantium, à partium studiis maximè alieni crederentur, justâ litem decisione terminarent. Et hi quidem argumentis singulorum prudenter expensis, actâ integra (quæ ultra mille sexcenta folia continebant) pari, quâ missa fuerant sollicitudine, clausa Monasterium remisere. Ubi evocatis partibus, sigillisque in omnium Proeuratorum præsentia referatis, eodem Anno M.D.LXX. quinto Idus Julij, prodit sententia, quâ *Argen-*

Contrâ  
lis ab  
aliis in-  
tentata.

A Pari-  
bus Cu-  
ria def-  
nitur.



1652.

86 CHRISTOPH. BERNARDUS.

tinenses *Borculoam Limburgo-Styrumen-* sed  
*sibus & Diepholtis* abjudicatam, ceu feu- M  
dum masculinum morte ultimi Vasalli Do- git  
mino suo apertum, Episcopo & Ecclesia Ca  
Monasteriensi adjudicârunt. di

*Limbur-*  
*gia ap-*  
*pellat*  
*Spiram.*

*Irmgardis & Diepholtij* haud isto ju- vi  
dicato contenti, ad Supremum tunc Imperi ni  
Dicastrium *Spiram* provocavêre; ubi cau- m  
sa etiam ritè introducta & acriter plures su  
annos agitata, finem expectabat. Sed *Judo-* ex  
*cus Limburgi & Brunckhørsti Comes*, de- ab  
functæ jam *Irmgardis* ex filio *Hermanno* se  
*Georgio & Mariâ Hojanâ* Nepos, Anno se- no  
culi hujus duodecimo, sub *Februarium* di  
Mensem, *Arnhemium* se vertit, & pro re- G  
dintegrandâ possessione implorat supremam n  
Gelriæ ac *Zutphanicæ* Curiam; *Borculoen-* di  
sem namque *Dynastiam* ad territorium Co- q  
mitatûs *Zutphanici* pertinere. p  
d

*Ejus*  
*Nepos*  
*Gelriæ*  
*Curiam*  
*implo-*  
*rat.*

Nec *Arnhemenses* ad *Limburgij* postu-  
lationes surdi, mox *Ferdinandum* Electro-  
rem tunc Episcopum, nec non Collegium  
Cathedrale, & Concilium *Provinciæ Mona-* p  
steriensis, edictali citatione in jus vocant. p  
Enimverò *Ferdinandus* tam insolitam juris Ju  
viam demiratus *Joannem Hobbelingium*, &  
virum habilem, qui Concilio *Monasteriensi* li  
â secretis erat, confestim ablegat *Arnhem-* fa  
mium, ut *Gelriensem* Curiam legitimam ac  
neget Principum, membrorumque Imperii c  
Tribunal; ac maturè tam incompetens fo- p  
rum declinet. Nec solùm fecit id solerter, o  
sed

*A quâ*  
*citantur*  
*Mona-*  
*sterien-*  
*ses.*

*Sed hi*  
*decli-*  
*nant fo-*  
*rum.*



1652.

sed præterea (quanquam præfatus nolle id Monasteriensibus fraudi esse, si ipsi, qui legitimum rei hujus Judicem tantummodò Cæsarem haberent, redderent aliis rationem ditionum suarum) enucleatiùs demonstravit, Borculoam liberum hætenus Domini-  
 num, præterquam Dynastæ & Imperio, nemini aliquandò paruisse. Nullam unquam supremæ Jurisdictionis potestatem in eam exercuisse Gelriæ Duces aut Ordines; sed ab iis agnitam, tractatamque semper, veluti separatam & amicam sibi in viciniâ Ditionem: sexaginta nunc annis possessam, ac subditam esse Monasteriensi Principatui, nullâ Gelrorum aut Zutphaniensium contradictione. A Styrummensibus quidè investiturâ feudi petitam, sed extra effectum agendi justâ quoque de causâ pernegatam. Litem super proprietate coram selectis Paribus Curie decisam, adjudicatamque Ecclesiæ Monasteriensi; provocatum quidem à Styrummensibus ad Dicasterium Spirense; sed isthic & possessionem quoque, jam tum Anno superioris ætatis septuagesimo octavo Supremi Judicis sententiâ Monasteriensibus firmatam; & adhuc hodiè super proprietate ventilari litem appellationis, adeoque ab iis, qui Cæsarem ipsi Tribunal elegerint, injustè nunc ad Gelriensem Curiam deflecti; quippe causam possessionis in eodem, coram quo proprietatis lis cœpta sit, judicio terminari oportere.

At

Et qua-  
re.



1652.  
Exce-  
ptiones  
has reji-  
ciunt  
Gelri.

At Ordines Gelriæ rejectis hujusmodi ex-  
ceptionibus, posthabitis quoque variis, se-  
verisque Cæsareis contra Comitem mandatis  
Anno sequente, die nonâ decimâ Novem-  
bris se Superiores declarant; utque con-  
stituto Procuratore litem, coram Gelria

1613. Curiâ, ad preces Comitis intentatam, & ipsi  
prosequatur, Ferdinando Principi injun-  
gunt. Deinde Anno decimo quinto sub De-  
cembrem in contumaciam Ferdinandi nihil

Et con- agentis, Actorem Comitem, donec in peti-  
demna- torio judicio aliud statuatur, arcium &  
tis Mo- Dominiorum Borculoæ ac Lichtenfurti pos-  
nasterië- sessorem pronunciant; & unâ Monasterien-  
sibus ses ad restitutionem seu compensationem

3. Maij. tionem Anni M. DC. XXII. in quingenta  
viginti quatuor florenorum millia condem-  
nant. Proximo post anno, videlicet secundo

Limbur- arcem occupant, & ejectionis Monasterien-  
gium in Ministris ac militibus, magnâ Religionis &  
possessio- rerum omnium conversione, Comitem in  
nem im- earum possessionem immittunt.

mittunt. Ferdinandus Septemvir hanc justitiæ  
formam, vim & violentiam interpretatus,  
Cæsarum, Regum, Principum & Imperatorum  
totius auxilium, auctoritatemque implorat.  
Nec ij quidem abnuerunt, quin statim Cæ-  
sar literis toties, & tam severè, sub proscrip-  
tionis etiam pœnâ repetitis, primum Judocæ

Parenti,



1652.

Quid ad  
hæc Mo-  
nasterie-  
ses.

Parenti, dein filio *Hermanno Ottoni* resti-  
tutionem demandavit, & ipse & Reges Da-  
norum, multiq̄ue Electores ac Principes  
Germaniæ, eam agendi severitatem Uniti  
Belgij Ordinibus sapissime dehortati sunt.  
Sed hi, monitos jam *Gelriæ* Proceres, eosq̄;  
audiri oportere, quorum ipsi jura statûs &  
judicata, obstante lege Unionis infringere  
non possent, plerûmq̄ue responderunt; sub-  
indè etiam pronos se dissidentium compo-  
sitioni offerre.

Et *Gelrorum* constans erat assertio, *Bor-  
culoanum* ac *Lichtenfurtense* Dominia ad  
suam Provinciam pertinere; nec ita se solos,  
sed & plures ex sociis Provinciis, earûmq̄ue  
Supremis Curiis consultos judicâsse. *Sty-  
rummensis* verò fortunis se ac facultatibus  
suis, non tantûm beneficiariis, sed & ab  
omni clientelâ liberis, earûmq̄ue possessione  
per vim exutum, ac tantis utilitatibus tot  
annos fraudatum, nec jure restitui in Im-  
perio potuisse; imploratam justè *Gelriæ*  
Curiam causabatur: nunc etiam Ordinum  
authoritate sibi interdictum, ne *Cæsarum*  
mandatis pareret, haud eam mereri sugil-  
lationem processus suos sentiebat.

Quid  
Gelri.

Quid  
Limbur-  
gius.

Et currentibus prosperè primûm *Bata-  
vicis*, tum *Succorum*, *Hassorumq̄ue* armis,  
monitus non rarò inter minas satisfactio-  
nem præreptorum fructuum *Ferdinandus*,  
obtulit aliquandò investituram *Styrumensi*,

F 5

dum-



1652.

*Quid  
Ordines  
Belgij.**Frustrà  
tentata  
sapius  
concor-  
dia.*

dummodo eam pecuniæ vim remitteret. Hanc Batavi conditionem ita temperabant, ut Comitem ceu Vasallum, ejusq; descendentes Borculoensi Dominio, adinstar Prædecessorum quondam Dynastarum Ferdinandus investiret; causam verò præreptorum fructuum relinqueret Ordinum arbitrio. Congressus varij hac super re habiti; sed acta omnia, mandata, litteras, & argumenta partium, quæ libros integros complerent, hoc loci referre nostri instituti non est. Sufficiat nunc, partes convenisse toties & nunquam convenisse.

1642.

*6. Julij.  
Prodit  
Spire  
definitiva.*

17. Oct.

*1652.  
Urget  
execu-  
tionem*

Horum omnium maximè gnarus erat *Christophorus Bernardus*, & quod non solum inter ea tractatum tempora, causam uti desertam pronuntiasset Tribunal Spirense, eamque remisisset ad Judicem primævum; sed & ipse hoc Octobri mense rescriptum *Executorialium* impetrasset, quibus *Adolpho* Comiti, *Hermannii Ottonis* filio, & *Irmgardis* Trinepoti rigidè imperabatur restitutio Borculoæ; lubuit Ratisbonense ante iter explorare animos vicinorum, si fortè pacatâ nunc Germaniâ spes recuperandi mitior atfulgeret. Scribit itaq; Comitatus Zutphaniz Deputatis: *Arcis & Domini Borculoensis*, quæ solius Imperij essent, habitâ possessione ad instantiam Comitis *Styrummensis* armatâ manu, sed injustè, turbatos olim *Monasterienses*. Properare se nunc *Ratisbonam*



1652.

tisbonam ad Comitiam isthuc indicta, utq<sup>3</sup> de statu causa Borculoënsis Cæsaream Majestatem penitiùs informet, super restitutione desiderari Deputatorum explicationem. Respondent ij. Restituere Borculoam non esse potestatis sua, sed totius Belgij Confæderati, aliud à se nec responderi, nec diffoni posse.

Christ.  
Bernardus.

5. Nov.  
1652.

Ithoc responso neuiquam contentus Christophorus Bernardus Nicolaum Westermoltium Westermoltij Dominum, & Albertum Boickhorstium Collegij Cathedralis Oratorem, Arnhemium ablegat, ut comper-

Ablegat  
suos  
Arnhemium.

tam magis habeat Ordinum mentem. Et hi quidem sub Decembrem in publico Gelriæ Concilio auditi, longâ oratione conati sunt Curia Arnhemienfi persuadere executionem sententiæ Spirensis. Quæ cum post negatam Comiti restitutionem, uti vocant, in integrum, & expedita tot executionis rescripta, magis etiam confirmata esset; non præsumi ullum fore, qui rei adeò justæ, & unâ tot Cæsarum mandatis adversaretur. Et quoniam nuperæ pacis lege cauta esset Circulorum Imperij redintegratio, quò spectaret restitutio Borculoæ ad Westphaliam pertinentis, nolle Principem Monasteriensem in proximis nunc Comitibus ad aures Cæsaris vel Principum Imperij deterre, quæ saperent amicæ vicinitatis læsionem; sed idcirco male nunc explorare mentem Concilij Gelrien-

Eorum  
proposi-  
tio.

sis,



1652.

92 CHRISTOPH. BERNARDUS.

sis, quid de futurâ executione arbitretur; ut Cæsar, ut Electores, ut Imperij Principes super eo veriùs possint informari: Cumque sententia in *possessorio*, hîc quondam lata, gravissimum fuerit attentatum, & à Cæsareo Judicio jam pridem antiquatum; ipsaq; ejus verba habeant, *donec in petitorio*, nimirum à Spirensi Camerâ *aliter judicetur*; & abiq; eo triti juris esse *possessorium à petitorio* absorberi; ideò confidere se, modicâ dignam consideratione tam salutare effectus non impedituram.

*Gelrorû  
responsio.* Paucis diebus post, respondent Arn-  
hemienſis Curia Senatores. Ottonem Co-  
mitem, Ejusq; Parentem, & Avum, au-  
thoritate non Gelria tantum, sed Pro-  
vinciarum omnium Unitarum, quibus  
juramento obstricti erant, severe prohi-  
bitos, ne parerent mandatis Cæsaris,  
aut fieri quid permetterent supremæ no-  
xium jurisdictioni Ducatus Geldria aut  
Comitatus Zutphania, vel ipsi sententia  
in hac Curia olim lata; atq; ideò nec  
eis posse, nec debere fraudi esse aut damno,  
judicatum Dicasterii Spirensis. Sed nec  
toleranter passuros se, si quid ejus occa-  
sione molestiarum sentiret Comes. Spe-  
rare interim mitiora, tum ad evitan-  
dam jurisdictionis confusionem, qua ex  
eo, quod Borculoa extra Imperium sita  
sit, ladenda crederetur; tum ut acquies-  
cat



1652.

eat *Gelria Advocatus*, ne alia capeffere media, aut ipsos uniti Belgij Generales Ordines implorare cogatur, sententiam *Arnhemienfem*, favore *Comitis*, armatâ etiam manu, exequi jam pridem animatos. Quâ datâ responsione *Ablegati Monasterium* redierunt. Et quamvis frustra tunc quidem ea Legatio instituta fit, postea tamen, ut in historiæ decursu porrò narrabimus, nihil unquam intermisit *Christophori Bernardi* sollicitudo, quo suam (sic enim appellare consueverat) Patriæ denuò posset unire *Borculoam*.

Sub hæc peractâ jam bimestri potissimum spatio, per alias etiam Civitates inauguratione, dictoque ab omnibus propè subditis fidelitatis sacramento *Christophorus Bernardus* ad iter *Ratisbonense* se parat. *Furstenbergium*, *Merveltium*, *Wiedenbruckium* Consiliarios monet, qui *Ratisbonam* comitentur. Concilio *Monasteriensi* imponit *Judocum Ethmundum Brabeckium* Cathedralis ædis *Thesaurarium*, Eidemque potestatem facit, qui vices absentis gerat, & quasi *Pro-Princeps*, Concilio tamen innixus, absentia durante Provinciam moderetur. Vir erat virtutum æquè ac natalium splendore illustris. Ingenium ei præsens ac promptum, judicium excellens, modesta gravitas, comitas suavis, & hæc mirâ actionis alacritate, ac dictionis flumine temperata. Majoris illum

34.  
Christ.  
Bern.  
abiturus  
Ratisbo-  
nam de  
statu  
Diacefis  
disponit.  
Brabe-  
ckius  
Pro-  
Prin-  
ceps.



1652.

94 *CHRISTOPH. BERNARDUS*  
ob hæc dotes, quam sanguinis propinquitate, etiam ad invidiam multorum, æstimabat & amabat *Christophorus Bernardus* Quem inter Consiliarios primatum, & in æd summâ Thesaurarij dignitatem ipse ant Principatum gesserat, iidem statim honoribus altero post confirmationem die Brabecium decoravit; egitque postea, quando *Mallingrotius* Decanatu per sententiam exutus fuit, ut unanimi suffragantium omnium harmoniâ tam amplo in munere surrogaretur. Certè vix unquam altero *Christophorum Bernardum* familiarius usum esse, quotidiana vita, consiliorum participatio, assiduum inter absentes litterarum commercium satis superque comprobant; gratiâ ad eò constante, ut nisi paucorum forsitan æmulatio, & ægrè diu ferens secunda livor, præter spem interturbasset, perpetuum dixisses. Plurimas, uti loco suo narrabimus, obivit legationes, & in his, multâq; aliâ publicarum rerum tractatione egregia semper prudentiæ ac promptitudinis edidit documenta. Sub annum verò hujus ævi sexagesimum septimum, dum Ferdinandus in Coadjutorem eligebatur, inter ortas tunc similitates, ab Electore Colonienli Maximiliano Henrico *Hildesum* evocatus, creatusque primùm in politico istius Principatûs regimine Vicarius ac Conciliorum Præses: dein reponenti ad manus Capituli Decanatum  
*Matthiæ*



Matthiæ Smilingio in eo Præfulatu suffectus; ac tandem post decessum nuper Maximiliani Henrici summâ omnium gratulatione ad ipsum etiam Episcopatum evectus est.

Inter cætera verò instructionis capita, quibus abituriens *Christophorus Bernardus* Brabeckium oneravit, in primis commendabatur, ut arcana consiliorum multùm essent communia germano fratri *Henrico Barone de Galen Dynasta in Assen, Satrapæ Vechrano*. Sed hic provinciam hanc omninò dissimulavit: cæterùm Vir absque ullâ assentatione verè prudens, ut inter sagaciores, qui fratris utriusq; virtutes subindè comparabant, non rarò dubitatum sit, uter altero prudentiâ superior: sed & æquè modestus, ut modestia prudentiam, & prudentia modestiam mutuo lenocinio commendaret. Utrumque probavit in actionibus æquè ac moribus totius vitæ consuetudo; & illud cum primis celebrandum, quod quemlibet exosus fastum, nec regiminis quidquam aut nominis unquam usurpans, uti inter eam nunc fratris absentiam Brabeckio, ita postmodum semper omnem aliis regendi gloriam facilè resignârit. Id autem compertum mihi, vix ardui quid aggressum unquam *Christophorum Bernardum*, quin antè clam licet & quò tectiùs ageretur, ad remotiora plerumq; loca acciti Fratris consilium adhiberet. Quia verò mentionem ejus præsens narratio opportunam



1652.

*Ejus  
connu-  
bia &  
propago.*

96 CHRISTOPH. BERNARDUS  
portunam exegit, & hoc insuper Viri merito  
& auctæ per eum gentis honori tribuendum  
ut de propagine ejusdem pauca hæc superad-  
dantur. Bis ille nuptias celebravit. Prima  
cum *Barone Droftiâ de Vifchering*, beârunt  
natales *Francisci Guiljelmi Camerarij Ha-*  
*reditarij Monasteriensis*, itemque *Margari-*  
*ta Anna ac Anna Catharina Elisabetha*  
ex quibus hodierni *Barones Velenij & Bue-*  
*renij* descendunt. Secundis consortem thoro  
adscivit *Annam Elisabetham Baronis de*  
*Reck Dynasta Steinfurtani primogenitam*  
Ex quâ sustulit universim liberos quatuor-  
decim sexûs utriusque. Inter quinque filios  
natum major *Christophorus Henricus*, Ca-  
nonicus Monasteriensis & Osnabrugensis,  
*Leopoldi Caesaris Augusti Cubicularius*,  
apud Eundem hodie *Friderici Christiani*  
Principis Monasteriensis (cui pariter à con-  
siliis est) Viennæ Legatum agit. *Ferdinan-*  
*us Benedictus* in Metropolitana Moguntina  
& Cathedrali Monasteriensi illustris au-  
dit. *Joannes Matthias* Canonicis Osnab-  
rugensibus, & *Ludgerus Henricus* Equi-  
tum Melitenium Ordini annumeratur. Fi-  
liarum pleræque splendidioribus inter West-  
phalos ac Rhenanos familiis, videlicet *Bar-*  
*onum de Droste, de Raesfelt, de Schell, de*  
*Corff, de Newhoff* per matrimonia insertæ.  
Ex thoro priore *Franciscus Guilielmus*  
cum *Ursulâ Helenâ ex Baronibus de Pler-*  
*tenberg*



*zenberg* Friderici Christiani Principis Sorore germanâ pridem nuptus, numerosâ jam tum sobolis augmine gentem suam donavit. Et his omnibus hodiedum superstes *Henricus*, dum nuper annum nonagesimum quartum seculi præsentis ingressus est, ætatis suæ quartum & octuagesimum feliciter superavit, & idem tunc, exemplo perquam raro, Pater, Avus, Proavus recensens Liberos, Nepotes, Pronepotes, examinatis calculis facilè numerum confecit vix octogenario minorem.

Sed nunc à Fratre ad Fratrem redeamus, ante iter Ratisbonense de statu Diœcesano per id tempus adhuc disponentem. Episcopalem namque curam Vicario suo credit: quod autem cum Joanne Dusseldorpio Suffraganeo Monasteriensi, ob linguæ mordacioris licentiam, non satis conveniret, renunciato eidem Suffraganeatu, & omni ministerio, sacris initiandos jubet tantisper ad Episcopum viciniorem ( qui tunc *Ægidius Gelenius* Osnabrugensi à suffragiis erat ) opportunius dimitti. Nam *Franciscus Guilielmus* Osnabrugensium Antistes ad suum Ratisbonensem Episcopatum jam tum præcesserat. Ordinato sic igitur in spiritualibus ac temporalibus patriæ statu, celebratis in Urbe Monasteriensi Christi natalitiis, exeunte anno millesimo, sexcentelimo quinquagesimo secundo, itineri se committit. Ipsâ Divi Joannis Apostoli festâ die, multis Monasterio

*Christ.  
Bern.  
abit Ra-  
tisbonâ.*

G

officij



1653.

98 CHRISTOPH. BERNARDUS

*Indicit  
preces  
pro felici  
Comiti-  
tiorum  
succesu.*

officij causâ comitantibus, Warendorpi-  
abit. Ubi istam noctem moratus postea  
manè inauguratur. Indè eâdem adhuc  
ce discedentem in celebri Monasterio Ma-  
riæ-Campi exceperunt Religiosi fami-  
Cisterciensis. Postridie verò stipatus an-  
plo & nobili comitatu Ratisbonam pergit.  
Ut autem felix esset tanti Conventus  
spicium, & optatâ tandem animorum,  
torumque harmoniâ terminaretur, imp-  
ratas toti Diœcesi preces, quotidianâ  
rè, ubi per locorum opportunitatem  
cuit, hostiæ cælestis immolatione, cer-  
insigni pietate, ipse in viâ secundab-  
Et hæc eadem prima erant Imperij Co-  
mitia, quæ Suedorum Regem Transmar-  
num, tanquam Pomeraniæ Citerioris,  
Bremæ, Verdæque Ducem ad Sessionem  
& votum, inaudito hæctenus admitterent  
exemplo. Quem honorem illi Germano-  
rum civile bellum, externo mixtum, cum  
cum quinque millionum Imperialium  
tro, sapientiâ posteritati memorandâ, con-  
ciliârat.

*Ratis-  
bonam  
appellit.*

Itinere feliciter confecto *Christopho-  
rus Bernardus* XVII. Kal. Feb. Ratisbonam  
ingreditur, magnâ multorum gratulatione  
Mox tertio ab adventu, & eodem die Cæ-  
sar, tum Imperatrix, dein Ferdinandus  
Hungarorum Rex benignas illi aures præ-  
buere; & producto in alteram horam col-  
loquio,



loquio, placere talem sibi Præsulem, auditus est dixisse Cæsar; quin & Proceres Imperij pares singulos exoptasse. Et quam ab initio, plerisque etiam apud Electores ac Principes; & ipsos exterorum Regum ac Magnatum Legatos (quorum statim animos cœpit possidere) venerationem juxta ac amorem conciliavit fama; hanc ipse postea virtutibus suis & cumprimis affabili in congressibus humanitate, maturâ in consiliis prudentiâ, facili in rebus agendis dexteritate, & assiduis inter curas laboribus mirè apud omnes amplificavit.

Interea verò sub ingressum Februarij Ratisbonam pariter advenerat Mallingcro-  
 tius, ingenti futurorum spe, animoq; erectus. Sed antè sextam vix hebdomadem ad Ferdinandum Cæsarem admissus; agnitâ licet omnium viarum difficultate, & amicorum inanem operam disfluadentium candore; nihilominus Ferdinandum orat, ut causa electionis Episcopi Monasteriensis, quam hætenus æquo latis jure discussam pernegabat, novo subjecta examini, justâ tandem Cæsaris authoritate decidatur. Quæ preces cum tam Cæsareæ confirmationis, quam Pontificiæ retractationem haud obscure innuerent, quanquam Ferdinandum hominis tam indigna postulantis imprudentiam acrius castigaturum timebant ple-

G 2

rique;

35.  
*Et Mallingcro-  
 tius Ratisbonam  
 accedit.*



1653.

rique; ut erat tamen clementissimus Imperator, viro benignè audito suadet, cum suo Principe conveniat, istius illum virtutis esse, qui aperto benevolentiae sinu accedentem lubens amplectatur. Quod ipsius compositionem interpretatus, dum aliud in causa justitiâ periuadens, inquietus responsum urget, è iudicio Imperiali hæc pronuntia. *Sacra Casarea Majestati decernitur, quod quicquid adversum electionem, sed nonicâ, confirmatamq; D. Episcopi Monasteriensis electionem, eiq; contrariam. humillimè allegarit & supplicarit Bernardus Mallingrotius Monasteriensis Decanus. Sed illum haud dubiè memoratum futurum, qualiter Majestas sua tantum ante biennium, Anno videlicet quinquagesimo primo, putatitias hujusmodi & adversantes legibus prætensiones rejecerit, simulq; demandarit, ut Celsitudinem suam, veluti Canonice electum, confirmatum, & à Casarea Majestate feudatum, Episcopum & Principem decenter agnoscat, colat ac veneretur; cuncto decreto cum Sacra Casarea Majestate adhucdum inhæreat; Hinc clementissimum, at severum, iterari mandatum, dictus Mallingrotius iniquis hujusmodi postulatis posthac supersedeat, neq; similibus ultra Majestatem suam molestet, sed primo isti decreto pareat obsequen-*



1653.

ter. Reliqua ejusdem petita ad forum  
competens rejiciuntor. Signatum Ratis-  
bonæ sub secreto Casaræ suæ Majestatis  
Sigillo die 24. Martij 1653. Signaverat.  
Ferdinandus Comes Curtius. Qui tunc  
erat Imperij Pro-Cancellarius.

At Mallingerotius isti sententiæ nequa-  
quam acquiescens, implorato variorum pa-  
trocinio, Cæsarem rursus interpellat, &  
nonnullos, quibus componendæ cum  
Episcopo controversiæ cura imponatur,  
designari rogat, cum hac inscriptione:  
*Ad Sacram Casaream Majestatem devo-*  
*tissima supplicatio pro decernendâ com-*  
*missione Bernardi à Mallingcrott Decani*  
*Monasteriensis.* - At confestim decernitur. *Secundò*  
*Inhereri priori decreto, nec ultrà Casa-*  
*ream suam Majestatem importunitate tur.*  
*supplicantis turbari velle. Ex Consilio*  
*Imperiali aulico. 28. Aprilis 1653.*

Hac tam insperatâ responsione per-  
cussus ad quosdam Principes Ecclesiasti-  
cos confugit, in quorum ipse tutelâ &  
ope non modicam causæ suæ spem jam  
dudum collocârat. Sed ij pernegato cau-  
sæ patrocinio, durioribus etiam verbis  
inreptum dimiserunt; & Moguntinum,  
ajunt, severam addidisse pervicaciæ pœ-  
nam, si talem ipse suo subjectum habe-  
ret imperio, quatuor clausurum parieti-  
bus, donec fame totus, inediâque con-

*Frustrâ*  
*implorat*  
*aliorum*  
*patroci-*  
*nia.*



1653.

ficeretur. Quantum abscissa spes virum  
felicioris expectatione successus erectum  
pupugerit, docuerunt lacrymæ præter mo-  
rem, uti fertur, clam in cubili ubertim  
effusæ. Postremam igitur aleam tenta-  
villum est, si forsan ætatis suæ & digni-  
tatis commiseratione tactus Imperator, com-  
positionis arbitros nominet, supplicem itera-  
tò libellum porrigere hoc modo inscriptum

*Ad Sacram Casaream Majestatem itera-  
ta devotissima supplicatio in puncto ad ten-  
tandam concordiam humillime petita com-  
missionis Bernardi à Mallincrot Decani  
Monasteriensis.* Sed Imperator & Ministri

Rejici-  
tur ter-  
tio.

Oratoris sana quæquæ consilia respicientis ob-  
stinationem magis indies docti tandem sta-  
tuunt. *Supplicanti famosum juxta ac in-  
juriosum scriptum suum cum exprobratio-  
ne mox reextradatur, ac præterea serio  
injungatur, ab omni in posterum supplica-  
tione & ulteriore contradictione se pro-  
fus contineat.* Ex Consilio Imperiali au-  
lico 4. Junij 1653.

Redit  
in West-  
phaliam.

desperatio coëgit impensis tot frustra sum-  
ptibus inglorium Westphaliam repetere  
& nihilò tamen minus sui ut antè sentit  
tenacem, ea capeßere consilia, quæ postea  
memorabimus, vel ipsi auctori exitiosa.

36.  
Electio  
Regis  
Roma-  
norum.

Verum jam antè sub Aprilem magno  
Ordinum Imperij consensu decreta erat  
Regis Romanorum electio, & sedes ele-  
ctionis



1653.

tionis designata *Augusta Vindelicorum*.  
 Igitur die decimâ septimâ Maij, Cæsar  
 cum Ferdinando Hungarorum Rege, Ra-  
 tisbonâ Augustam abit. Ubi cum pridie  
 Kalendas Junij, convenientibus in unum  
 suffragiis, *Ferdinandus quartus*, jam pri-  
 dem Hungariæ ac Bohemiæ, nunc *Roma-*  
*norum Rex* auspiciò electus esset, & ipse  
 & Cæsar Ratisbonam die quintâ Junij re-  
 vertuntur. *Christophorus Bernardus* quan-  
 dò discedentem Ratisbonâ Cæsarem reli-  
 quos inter Principes aliquò usque dedu-  
 xerat, ipso eodem die cum primoribus  
 quibusdam aulicis secundo Danubio Vien-  
 nam descendit, & post lustratam Hunga-  
 riæ & Austriæ magnam partem revertit.  
 Transiens Salisburgo à Paride Lodronio  
 Archi-Præsule cognitus, lautè excipitur.  
 Habito cum invicem longo sermone, mi-  
 hi testatus est non semel, ab isto Prin-  
 cipe grandævo multa se doctum, quæ  
 in arduis postea negotiis non rarò pro-  
 fuere. Indè salutatâ apud Oetingam DEI-  
 parâ, ante Cæsaris reditum Ratisbonam  
 se recepit; coronationi Regis, quæ deci-  
 mo quarto Kalendas Julias incredibili ap-  
 paratu, pompâ & gaudio peracta est, ad  
 cæteros interfuturus. Exeunte Junio Or-  
 dinibus Imperij prælecta Cæsarea proposi-  
 tio, vernaculo quidem sermone, sed in  
 hanc sententiam.

G 4

'Haud

C. Bern.  
 lustrat  
 Hunga-  
 riam &  
 Austriâ.



1653.

37.  
Proposi-  
tio Cas-  
rea in  
Comitiis  
Ratisbo-  
nensibus.

Haud Casarem dubitare, quin ex suo pronuper rescripto abunde perceperint Ordines Imperii, prasens hoc Comitium ad legem Westphalicae pacis decretum, indictumque non eo solum sine, ut pacta pax inter caput & membra, interque haec ipsa & exteris etiam cum coronis arctius firmetur; sed ut ipsa etiam pacis statuta vel eo certius executioni demandentur; quaeque pro integriore singulorum stabilimento in communem Procerum consultationem & conventum hunc rejecta sint, conjunctis animis, consiliisque opportunius decernantur. Palam sit, nihil haecenus eorum Majestatem suam pratermississe, quae ad majus robur & executionem pacis quoque modo visa sint pertinere. Evulgatis ab initia statim pace litteris, mandatisque & imperasse singulis eorum restitutionem, ad quae pacis lege fuerint obligati, & pariter hortatam Principes Circulorum Directores, ut partibus iis, quarum id vel causa, vel petitio deposceret, prompti auxiliarentur, & eam quidem formam, quam ipsi persuaserint Ordines, in exequendo arctiorem. Nominatos etiam pari promptitudine ex Ordinibus utriusque Religionis Commissarios ad preces eorum, qui talibus indigebant, ut nihil defuerit, quo singuli sua securius obtinerent.



nerent. Cessam ex Imperij voto Franc-  
kenthaliam; evacuatam milite presi-  
diario Hailbrunnam; vicinos ita Status  
onere tributi permolesto exemptos; su-  
peratas causa Palatino-Electorales dif-  
ficultates, pluraq; obstacula è medio  
sublata; qua & Comitij presentis con-  
silia sufflaminare, & novis animorum  
dissensiones creare potuissent. Si qua  
forsan lege pacis supersint adhuc exe-  
quenda, non tantum non defuturum par-  
tibus suis Casarem, sed & Ordinum sen-  
sa & operam perlubenter amplexurum.  
Volupe sit Majestati sua ea presentium  
Procerum & Ordinum frequentia, qua  
& ipsam è terris hereditariis vel eo  
fortius Ratisbonam traxerit, quò pro-  
pensius credat in utilitatem, decorèmq;  
Imperij redundare, si, qua reliqua sint  
negotia, super iis coram pensiculatius  
agatur. Nec dubitet Majestas sua,  
quin ita maturè, sapientèq; Ordines jam  
tum antè expenderint rescripti Casarei  
argumentum, ut ad ipsam mox consul-  
tationem procedi queat, eaq; semotis  
inutilibus quibusvè tricis aut discepta-  
tionibus sic maturetur, quò citius ex-  
pediti majore cum fructu ac tranquil-  
litate ad suos singuli revertantur. Ea-  
propter velle Majestatem suam, ut pro  
innato erga Imperium, ejusq; commoda



1653.

affectu & sollicita voluntate sine morâ  
convenient, & circa themata, quæ se-  
quuntur, in commune conferant Ordines,  
quidve censeant faciendum, quantocumque  
apud Cæsarem deponant. Primò, quâ  
possit ratione, pax labore tanto, sumptibusque  
parta, inter caput & membra, atque  
inter hæc ipsa, nec non cum exteris  
etiam coronis stabiliri; avita illa &  
beneficio pacis restaurata, mutuâque ami-  
citiâ firmari, augeri; & ipsa simul  
tot fracta malis Germania, contra omne  
posthac dissidium, motumque constantius  
preservari. Quæ secundò vi pacis su-  
persint exequenda, quâ expeditiore viâ  
executioni debite mandari queant; ac  
denique tertio, quæ in presens Comitium  
rejecta, dilatâque sint, quo possint absque  
damnosâ procrastinatione, celebriore ac  
utiliore modo terminari.

38. Audita vix erat hæc propositio Cæ-  
C.B. Sol-  
licitat supplicem mox libellum Augusto porrigit,  
sessionem quo docet ex Juris Consultis ac Scripto-  
inter ribus Germanis evidens esse, quatuor in-  
Princi- ter Imperij Burggraviatus, Strombergam  
pes uti numerari; nec minus constare Princi-  
Burg- palem ius Dignitatem pariter annexam  
gravius esse ac fuisse semper, ut propterea ho-  
Strom- diedum etiam Saxo, & Brandenburgi-  
bergen- cus Electores, is Magdeburgici, hic No-  
hs. rimber-



rimbergensis Burggravij ceu Principis titulo exornentur. Idque non tantum ex aureâ Caroli quarti Bullâ, in quâ Burggravij Norimbergensis, sub classe Principum, mentio fiat; sed & diversis Imperij constitutionibus, placitisque confirmari; adeoque dubitari non posse, quin ex possessione vetustissimæ Burggraviorum sedis Strombergæ, etiam sibi sessio & votum inter Imperij Principes debeatur. Territorium eò pertinens coæquari honori Principis, quippe quod præcèlentes sub se Prælatos & Equestris Ordinis viros, oppida quoque ac municipia comprehendat; & eam esse illius districtus amplitudinem, ut multorum Principum, sessione pari & voto gaudentium terris nequaquam cedat. Episcopos Prædecessores Diœcesi quidem Strombergam univisse, collectumque ex eâ, velut particulari Satrapiâ tributum cum Diœcesano confudisse, nec hæcenus, uti acta Imperij testentur, sessionis ac voti habuisse rationem. Id autem ex eo partim accidisse, quod Strombergensis Burggraviatus ante ipsam actorum Imperij conscriptionem, & tempora gloriosissimi Imperatoris Maximiliani primi, sub Decessore Florentio Wevelinghovo Principatui Monasteriensi subiectus fuerit; tum quod sub idem tempus nonnulli ad-

huc



1653.

108. CHRISTOPH. BERNARD.

buc ex cognatione Burggraviorum, quamvis collateralis lineâ & fœmineo sexu descendentes, ipsum Burggraviatum jure quodam sanguinis prætenderint; cujus occasione à petendâ sessione, jurêque suffragij haud dubiè fuerit cessatum. Et sanè Anabaptistarum seculo abhinc seditionem, ac deplorandam in eâ tot documentorum, actorumque publicorum jacturam plurimum obfuisse, ne Successorum cura convertere se potuerit ad debitam hujusmodi injuriarum Ecclesiæ tuitiōnem. Immo & postea Diœcesin tempore Smalcaldici fœderis, & diversarum in Imperio turbarum, violentarumque irruptionum, Bellorum Hispano-Batavi & post tumultus Bohemicos Germanici, in eas angustiis redactam esse, ut deficiente sumptu nec Legatos ad Comitia mittere, nec iis ipsi Principes à seculo & ultra interesse, adeoque jura & prærogativas Episcopatus sui decenter curare non potuerint. Ut sileatur annos jam octuaginta, usque ad sui electionem, neminem Principum fixâ sede, Diœcesin habitasse. Jam verò cum extet immemorialis possessio, nec minima quidem aut ratione Burggraviatus, ejusdemque Domini, aut successiōnis, contradictio appareat; & ipsa Sacra Casarea Majestas ad majorem Imperii splendorem, in se dignita-



1653.

dignitatem hanc postliminio resuscitavit; ipsiusque Burggraviatus Regalia sibi clementissime concesserit; iis autem ceu Regalibus majoribus jus sessionis & suffragii ipso jure annexum sit; imò & hodie ex persimili causâ Serenissimas Domos, Saxoniam, Brunsvicensem, ac plures, quibus antè caruerint, sessiones & vota in Comitibus Imperii acquisivisse; eapropter devotissimas offerri preces, clementissimo Casarea suæ Majestatis decreto, desiderata pariter sessio ac votum ut competente loco concedatur.

Non abnuit, sed preces, causasque in *Et obti-*  
 ijs deductas mox approbat Cæsar; ac *net.*  
 Principi Electori Moguntino, ceu Directori *2. Julij.*  
 in mandatis dat, ut Monasterienti Episcopo, *1653.*  
 veluti Burggravio Strombergensi sessio,  
 votumque inter Principes tribuatur. Utrum-  
 que feliciter adeptus quietè continuavit,  
 uti ex impressâ & nomine Strombergensis  
 Burggraviatus à *Wiedenbruckio* ceu Mo-  
 nasterienti Legato subscriptâ Imperiali Ra-  
 tisbonensis Comitij Constitutione, luculen-  
 tius patet. Atque ita *Christophorus Ber-*  
*nardus* Ecclesiam suam & posteros Succes-  
 sores non aspernandâ dignitate cumulavit.

Dum Cæsar & Ordines in conventu suo *39.*  
 res Imperij strenuè curant, Romanus Pon- *Quinque*  
 tifex componendis Ecclesiæ dissidiis, ser- *proposi-*  
 vandæque unitati sollicitus intendebat. *tionis*  
*melius Jansenio*



1653.  
adscriptas  
damnat  
Pontifex.

Editâ  
constitutione.

Quæ,  
tametsi  
publicata,  
non  
sedat  
fervorẽ  
partium.

*nelius Jansenius* Delpho-Batavus, quondam in Lovaniensi Academia sacrarum litterarum interpres post Episcopus Iprensis, librum composuerat, qui *Augustinus* inscribatur; primo ab obitu anno in lucem datus, operâ amicorum. Contineri eo, secundum alia, quinque propositiones asseriebant, quæ plerisque Catholicis Doctoribus, præcipuè de gratiâ & libertate, non satis fidei conformes visæ sunt. Super iis admirabili partium studio per Academias Galliæ disceptabatur. Lovaniensi Belgicâ ferè præ reliquis Professore quondam suum tutante. Controversiâ ad Urbem relata, Pontifex pluribus simul Theologis propositionum examen committit, compertoq; Orthodoxis eas dogmatis adversari, publico ritu damnatas, editâ Constitutione proscribit, quam ipse universo Orbi Christiano jussit intimari. Et cum *Christophorus Bernardus* pro obligatione muneris & teneritudine affectûs, quâ erga Sanctam Sedem ferebatur, statim quoque per Diocesin Monasteriensem evulgari, exacteque observari ex ipsis Imperialibus Comitibus demandavit. Verùm hæc constitutio, tametsi non his tantum locis, sed & in Galliâ, Belgio, ac Orthodoxâ Germaniâ, valvis Ecclesiarum affixa & è suggestibus declamata sit, haud potuit tamen omnem Disputantium calorem restinguere. Pars triumphatrix impotentius



centius ferri in ipsum Jansenium; proclamare hominem hæreticum, depingere inferorum luentem pœnas; epigraphen everso cippo suppressere, & mirabili catastrophe in comædiis repræsentare defuncti vitam & exitum. Contra pars victa dogmatibus fidem, & sanctæ fidei reverentiam præfata, negare propositiones illas esse Jansenij, aut contineri in ejusdem libris; hos non tam vastos esse, quin facilè evolvi possent, notarique folium, pagina, versus, linea, ne quid lateret inscios; aut certè verba, quæ in Jansenio reperiri velint, spectato contextu non facere sensum damnabilem. Et sanè immeritò sic perstringi tanti exempli virum; nec ullâ ratione tractari posse ut hæreticum, non modò nullius unquam errati, multò minùs pertinaciæ convictum; sed quem manifestò constaret scripta & labores omnes Ecclesiæ judicio subjecisse. At nos alterationibus hilce ad Theologorum Cathedras relegatis Monasterium revertamur.

*Mallingerotius* sextâ Julij Ratisbonam reliquerat, festinato in Westphaliam reditu, ut ante D. Jacobi ædes Paulina Monasterij præsentem videret. At redeuntis peculium absorpserat sumptuosum iter, & quoniam à die latæ suspensionis annona Decanalis sequestro deponeretur, non parùm fides imminutum ibat, ab annuis hucusq; præ-

49.  
Mal-  
lingero-  
tius re-  
gressus  
Mona-  
sterium.



1653.

*Astu pe-  
cuniam  
accipit.*

proventibus adhuc sustentata. Interim res familiaris, litium multitudo, causarum patroni, & solito major nunc etiam hospitalitas haud modicum quotidie deposcebant. Hæc inter astus viam invenit, quæ necessitas aliquantum levaretur. Villam colebat Decano vectigalem, nonnemo Havichorstius. Hic, uti consueverat, in pervigilio D. Jacobi debitum nunc soluturus, cum trecentis imperialibus (quæ annui vectigalis summa erat) uxorem mittit ad Sequestrem à Collegio Cathedrali pridem designatum, qui decanales proventus in residuo locabat. Haud procul is habitabat ab ædibus Decani, ita ut eas Villicæ prætergredi necesse haberet. *Mallingerotius* transeuntis præsentiam monitus, ex ostio domus suæ improvisus erumpit, in foeminam involat, corbem, quo pecuniæ gestabantur, unâ cum argento extorquet, & frustra clamante ac reluctante misellâ, festinus domum asportat, unice lætus, & prædam hanc adeo sibi feliciter in manus venisse, & eo audentis astu plebem supra modum delectari.

*Captat  
populi  
studia.*

Exinde ad aucupandam populi gratiam totus se componebat. Cum singulis solito humanius, mitiusque agere; expedite ac frequenter salutare obvios, præter morem venerari transeuntes; in plateis sphæras precatorias sub pallio volvere; subinde ruri  
obam-



obambulans ut spectaretur, obvio cuiq; repagulo aut vacerræ innixus, recitare horarias preces, & cum multis epulari ipse, & ultrò alios ad convivium liberaliùs invitare; quæ partim amorem ac benevolentiam plurimorū concitabāt, firmabantque; partim ad commiserationem viri, aliorum solatio quasi destituti, ac temeritate, potentiâq; Principis & Capitularium oppressi, permultos inducebant.

Nec alia domi deerant incitamenta, quæ subditorum ac civium animos à Principe & Capitularibus alienarent, præsertim si ab aliis, seu verè, seu fictè, eadem aggravarentur. In omnium memoriâ recens erat *Aliundè* anni præcedentis super ejectis perticis *etiam* cum Cathedrali Collegio controversia. *concitata* pitam tunc quidem eam fuisse interpositi. sitione Principis, sed nimium Capitulo faventis. Exaggerare hoc *Mallingcro-* *tius*, quoties cum Civitate lis esset, ad hujusmodi favores, ex lege *Capitulationis* sibi notæ, Principem obligari. Nunc magnam pecuniæ summam quot mensibus absorbebat Ratisbona. In luxum eam tantum converti criminabantur, citrà commiserationem Patriæ vix dum respirantis. Laxatum alibi, seu Berkelæ seu Amisæ alveum, & extracta Principis sub præsidio quibusdam in locis monopola, quibus merces peregrinæ minoris venderentur, solis civibus & mercaturæ Monasteriensi perniosa. Hæc nonnulli, audentiùs quidem quàm cautiùs jactabant; Sed nec dee-

H

rant



1653.

rant alij, qui Principis partes è contrà tue-  
bantur. In componendâ namq; Civitatem in-  
ter & Capitulum discordiâ ajebant nominâl-  
se illum Conciliatores uti partium securos,  
ita & gratos, acceptosq; & eorum industria  
deberi, quod compolitio litis festinata sit utri-  
usq; partis bono. In conventu verò Ratisbo-  
nenli vivere oportere pro eâ, quâ deceret  
Principem Imperij dignitate; cedere & hoc  
in utilitatem non minus quàm gloriam sub-  
ditorum. Et istâ vivendi ratione conciliari  
Principum ac Procerum animos, ad patriæ  
securitatem. Propolia esse pauca, quæ uti pau-  
cis fortè mercatorum obessent, ita prodesse  
plurimis, immò omnibus, qui talem ipsi mer-  
caturam non facerent. Invitados aliquandò à  
Principe Consules, ut dilatando Amiliæ Ci-  
vitas pariter succurreret, nec sine magno in-  
colarum emolumento, si merces advehi pos-  
sent beneficio navigiorum; sed surdis aut  
impossibilitatem obtendentibus cantatū esse.  
Hujusmodi sermones ultrò, citroque passim  
miscbantur, at parùm mollebant eorum  
sensus, qui quantò antè averli magis à Deca-  
no fuerant, nunc vanâ humanitatis specie cap-  
ti, studiosius partes ipsius defensabant. Verum  
suis adhucdum focis ignes continebantur,  
propemodum ubi fomes accederet, plus ni-

41.

*Princeps* miò erupturi.

*laborat* Hæc dum Monasterij geruntur, Ratisbo-  
*de eva-* næ nihil idcirco remittebant Principis studia  
*cuandâ* in unam patriæ salutem incumbentis. Etenim  
*Vechtâ.*

Suc-



cicus miles *Vechtam* Nobile Dicecesis munimentum, pignoris loco tenebat, gravis, ingratusq; hospes, donec centum adhuc & quadraginta circiter imperialium nummorum millia ab aliquot Germaniæ provinciis exsolverentur. Principatus *Monasteriensis* in singulos menses erogabat millia omninò septem, quæ si pridie Kalendas numerata non erant, ad ultimi usque nummi solutionem vexabatur continuâ Præsidiorum *Vechtensium* executione & insolentia militari. Ægrè habebat *Christophorum Bernardum* & patriam pro alienis potissimum nominibus tam dura pati, & aliorum argenti penuriam causantium sentitudine se distineri, quò minus ab onere tam gravi Dicecesis eximeret. Quin & moræ impatientia quotidie crescebat altiùs reputanti ingens patriæ, Germaniæq; damnum. Nam continuata biennium isthæc menstrua solutio, ipsam summam *Suionibus* debitam longè excedebat. Nihilò tamen minus debitorum Provincie, post tot annorum bella exhaustæ, supremam rei nummarie difficultatem, re verâ meram solutionis impossibilitatem causabantur.

*Christophorus Bernardus* eâ tergiversatione procrastinari vota sua, tamq; graves Principatus sui molestias exterorum culpâ proferri sentiens, aliam quercum excutit. Cæsarem orat, Ordines Imperij interpellat, instat & urget indefessus, ut si coacto ipse ære *Succis* satisfaciat, hi *Vechtam* sine cunctatione vacuare teneantur; erogatam verò pecuniam sibi liceat à debito-



1653.

*Eo fine  
indicit  
Comi-  
tia.*

bitoribus repetere executione, uti vocant, paratâ. Omnibus tandem Ratisbonæ in id consentientibus, Monasterium Comitibus indicit, ut in commune conferant Ordines Diœcesani, quæ nunc faciliore ac celeriore viâ æs corrogari possit abituris Suionibus succedendum. Et hi quidem numero satis frequente congregati, tametsi sollicitè consultabant indies, avertis tamen per dissensiones animis tantisper conventum interrompere coacti sunt, & Principis reditum præstolari.

42.

*Disce-  
dit Ra-  
tisbo-  
nâ.*

Quare *Christophorus Bernardus* discessum Ratisbonæ maturabat. Cumq; jam antea præmisisset *Merveltiũ* Cancellarium & *Henricum Bisschopingium*, Jurisconsultum ac Consiliarium, qui cum *Matthiâ Smisingio* Canonico Monasteriensi Circularibus Westphaliæ Comitibus *Essendiæ* præessent: Ipse Nonis Decemb. Imperatori & Augustæ, postridiè Regi Ferdinando valedicit. Biduò post salutatos Electores ac Principes adhuc præsentibus, apparato magnificè convivio, liberaliter omnes excipit, atque ita undecimo ipsius mensis die Ratisbonâ excedit, relicto *Bernardo Wiedenbruckio* qui in Collegio Principum vices suas obiret Legato.

*Relicto  
Wie-  
dēbru-  
ckio  
Legato.*

Cujus viri virtutes, quod mihi fuerit semper, ceu *Pilades Orestis*, è memoriâ nullo unquam tempore excident. Et quoniam non hac tantum, sed plurimis aliis, ac difficillimis Legationibus, functionibusq; clarior postea evasit, artes ejus & primævam vitam juvat hîc paucis agnoscere. Pater illi fuit ejusdem nominis Pro-

Can-



Cancellarius Paderbornensis, primariae Doctrinae vir, ac Juris-consultorum omnium istis locis facile primipilus. Vestigia parētis pro ætate jam tum exprimebat Bernardus Adolefcēs, cœpitq; ingeniū elucescere, cum liberalibus disciplinis erudiretur; sive enim operam daret Grammaticorū aut Rhetorum præceptis, sive placitis Philosophorum, seu Justiniani legibus, præreptam omnibus palmā solus ipse reportabat. Memoria tam felici erat, ut idem ipsi propè fuerit legere ac observare. Imbutū jam scientiis oblatae mox dignitates primū aliò, deindè Treviros evocârunt, ubi ortā *Philippum Christophorum* Archi-Episcopum inter & Metropolitanum Collegium controversiâ, captoq; ab Hispanis Electore, Viennamque traducto, in consiliorum administrationem adscitus, nutantibus licet cæteris, immotâ semper fide à Cæsare & Eiusdem parte stetit. Sed regresso à captivitate Septemviro, vetereq; odio in Canonicos ac Ministros recrudescente, fatiùs habuit mutare sedem, quam inter eam Principis aversionem diutiore servitio molestari. Postulatus igitur Urbis Monasteriensis Orator, tantâ omnium satisfactione eo munere defunctus est, ut cum ad capescendam, demortuo parente, Pro-Cancellarij dignitatem invitaret Princeps Paderbornensis, abiturienti sponderent ultrò, quod nulli retrò hætenus acciderat, non modicum, si maneret, salarij augmentum. At *Christophorus Bernardus*, quidquid Trivirensis Coadjutor & Paderbornensis Præsul magnarum spe dignita-



1653.

gnitatum allicerent, tractum fortiùs virum in consiliorum, curarumque partem adscivit. Et certè usui fuit egregia viri virtus in iis, quæ novum illicò Principem excepere, negotiis. Ad ardua quæque adhibitus, & ut erat expedito à naturâ & arte ingenio facilis, in arcanis semper congressibus, in rerum tractationibus, in Legationibus plurimis, Principi, Patriæ & Imperio fidelem, impigramque operam domi, forisque luculenter comprobavit. Quem & aliàs *Leopoldus* Imperator excellentissimas ob virtutes & celebrato amplo diplomate tam illius, quam Parentis merita, nobilitate ad omnes posteros transeunte decoravit, aut veriùs in parente decoratum confirmavit.

40.

Torkius

Roma

de statu

Diæce

sano

refert.

Sed *Wiedenbruckio* Ratisbonæ rebus Germanicis occupato, *Torkius* Canonicus Monasterientis, quem Princeps hac æstate Romam ablegaverat, ut pro solitâ Episcoporum obligatione de statu Diæcesano Pontifici referret, hoc munere per eos dies in Urbeungebatur. Quanti verò Romæ jam tum æstimatus fuerit *Christophorus Bernardus*, testes sunt hæc litteræ, quas è coetu Cardinalium ad ipsam pertulerunt Ratisbonâ vix digressum.

Reverendissime Domine, uti Frater.

**A**ccedens ad Apostolicam Sedem Canonicus istius Cathedralis Ecclesie, ad visitanda sacra Beatorum Apostolorum limina ab Amplitudine Tuâ specialiter ablegatus, hoc munus nuper eius nomine reverenter obivit, & statum Ecclesie Monasteriensis retulit Eminentissimis Patribus Sacri Concilij Tridentini



mentini Interpretibus & visitationi sacrorum limi-  
 num Praepositis, qui de reformatis Clericorum mori-  
 bus, & Ecclesiasticâ disciplinâ post invecam belli  
 licentiam revocatâ de restitutâ Monialium clausurâ  
 & regulâ; de erecto seminario, & de aliis Pasto-  
 ralibus muneribus egregiè præstitis, Amplitudinem  
 Tuam laudibus extulerunt, Altissimo gratias agen-  
 tes, quod Ecclesia isti diuturnis calamitatibus &  
 multiplicibus dispendiis afflictâ tantû voluerit præ-  
 esse Pastorem, qui à præteritis incommodis eam eri-  
 gere & ab ingruentibus malis valeat reparare. Cu-  
 jus quidem perniciosam rerum seriem ab Amplitu-  
 dine Tuâ luculenter recensitam, quemadmodum E-  
 minentissimi Patres cum lachrymis audierunt, ita  
 Apostolicam Sedem, quam Amplitudo Tua nuper  
 tanquam Matrem & Magistram venerata est, fir-  
 missimum eidem propugnaculum futurum pollicen-  
 tur, ut Ejus operâ Monasteriensis Ecclesia non  
 solum pristino decori reddatur, sed & antiquis  
 reassumptis viribus majus quotidie sumat incre-  
 mentum. Interim DEUM Opt. Max. precamur,  
 ut Amplitudini tuæ jugiter laboranti caelestium cha-  
 rismatum copiosam largiatur ubertatem, conce-  
 datq; ex isto Monasteriensi candelabro diu Germaniæ  
 toti præluce. Roma XV. Novembris MDC LIII.

Amplitudinis Tuæ

Uti frater studiosus

PETRUS ALOYSIUS Cardinalis  
 Caraffa Præfectus.

FRANCISCUS PAULUTIUS  
 S. Congreg. Card. Secretarius

FINIS LIBRI PRIMI.